

MEMORABILIMUM DUORUM  
ANNI M DCC.

Primum,

# JUBILEUM ROMANUM,

DEO JUVANTE ET ADSISTENTE,



CONSENSU MAX. FACULTATIS THEOLOGICÆ,  
IN ACADEMIA PRUSSORUM REGIOMONTANA,

PRÆSIDE

GODOFREDO WEGNERO,

S. Theol. Doctore, Ejusdemque P.P.

Ordinario, Concionatore Aulico Secun-  
dario,

*Eruditorum publico examini submittit*

JOHANNES PHILIPPUS Schulz /

Elbing. Prussus,

IN AUDITORIO MAJORE.

*Ad d. Septembr. anni hujus currentis,  
ab hor. 9. ad 12.*

---

REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT. BRAND.  
ET ACAD. TYPOGR. HÆREDUM.

C-37.

eol.ev.pol.

42,54<sup>m</sup>

Aus der  
Schloßbibliothek zu Oels  
1885

14595

Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden

## PROOEMIUM.

**H**istoriarum & Annalium Conditores præcipuè annotare solent res gestas memorabiles *tum* in Ecclesiâ, *tum* in Politia, ut alii sibi inde prudentiam in agendis & omittendis comparare, Dei opera & beneficia cognoscere, eorumque memoriam ad benè beateque vivendum, adhibere queant. Quippe *Herodoto* objecta historica dicuntur *ἔργα μεγάλα τε καὶ θαυμάσια*, opera gesta *ingentia* & *admiranda*; exclusis non solum *fabulis*, quarum *δέλειασι* pueros ab initio inescandos esse existimat *Strabo lib. I.* sed etiam *rebus levibus* nihilque momenti habentibus. Et quia *temporis annotatio lux veritatis est, & anima quasi Historiæ, & diuturnitatem ejus, memoriamque rerum gestarum sola conservat ac tuetur*, juxta *Tatianum*; hinc fideles & accurati Historici non prætermittunt *annum & diem*, quibus memorabilia in mundo contigerunt, hosque præ cæteris observandos & considerandos aliis tradunt, ut vel *judicium* de similibus faciant, vel *præsentia cum præteritis conferant*, vel aliàs in usum suum, vitæque institutionem convertant, quæ describuntur. Præiverunt antiquissimi scriptores, *Moses* in primis, cæterique qui ipsum sequuntur, *Amanuenses Dei*, qui annos varios memorabiles in suâ historia annotarunt. Idem præstiterunt in profanis quoque historiis industrii scriptores, quando res gestas memorabiles exposuerunt. *Sedulus* ac solers in notatione temporum præ aliis fuit *Jean d'Espagne*, Gallicæ Ecclesiæ in Angliâ Londini Pastor, qui non tantum in *Harmoniâ* temporum, plurimos annos memorabiles in historiâ sacrâ inter se contulit; sed etiam in scripto quodam parvò exempli dierum memorabilium, in diversis annis, Regibus, regnis, Magnatibus, populis, ipsique Ecclesiæ fatalium, singulari studio annotavit. Observati quoque scriptoribus sunt anni seculares, apud Gentiles propter ludos, apud Christianos propter *Jubileum* memorabiles. Quare, ut tempori nos accommodemus, annum præsentem M DCC. ob duo memorabilia notabilem observandum quoque duximus, consideraturi I. *Jubileum Romanum*, II. *Calendarii emendationem*, quibus annus hic memorabilis redditur. Exhibemus autem hæc disputatione JUBILEUM: Deus cœptis adspiret, ut vergant in ipsius laudem & gloriam.

A

I. JU.

I. JUBILEUM & nomine, & re bonum & honestum est, & si originem spectemus, etiam divinum, quia Deum habet institutorem. Nam is *Annus Jubileum* Ecclesiae Judaicae celebrandum praecipit Levit. XXV. 8-12. cujus denominatio *Jobel* Exod. XIX. 13. explicatur per *kol kæræn Jobel*, i. e. vox cornu *Jobel*, quod libertas & remissio cornu vel buccinâ ex cornu arietum illo anno futura in totâ terrâ omnibus incolis promulgaretur. De quo *anno Jubileo Judaico* pluribus videantur Paulus Slevoigtius *Disp. Academ. Philol. IV. quæ est 38. in volum à p. 995.* D. Joh. Ernestus Gerhardus *Exercit. de Jubileo Judæorum ac Pont. Rom. & M. Christ. Kortholt Disp. seculari de Jubileo Ebr. hab. Jenæ 1658.* Typus autem hoc Jubileum Judæorum fuit *Jubilei Christiani*, cujus mentio fit Jes. LXI. 1. Nam absque dubio Lex alludit ad agnum illum, qui & quotidie in figura offerebatur, cujus vox, ut potestatem liberandi habentis, erat in fine temporis audienda, quâ omnis vincetus & captivus liber erat declarandus. Convenientia *Levitici & Christiani Jubilei* potissimum conspicitur *in origine*, utriusque enim auctor Deus est; *in causâ instrumentali*, quæ utrobique Propheta magnus & maximus; *in buccinâ promulgationis*, quæ ibi corporalis, hic spiritualis erat; *in causâ finali*, quæ remissio & libertas, ibi temporalis, hic cœlestis; *in subjectis*, quæ ibi omnia membra Ecclesiae Judaicae, hic omnes Ecclesiae Christianae cives, quibus omnibus redditus ad possessiones & hæreditates in Adamo amissas, voce læta annunciat. Jubileæ Divina imitati sunt Pontifices Romani, quorum primus *Bonifacius VIII.* centesimum, paulò post *Clemens VI.* quinquagesimum, *Sixtus IV.* tandem vigesimum quintum annum Jubileum appellavit, & plenam iis, qui tunc Romam visitarent, indulgentiam omnium peccatorum proposuerunt. Successores verò nec termino ultimo contenti, extra ordinem quoque, quoties ipsis placuit, *Jubileæ* indixerunt: Unde factum, ut à primo Jubilæo ad præsens, intra quatuor secula ultra 24. Jubileæ, celebrata sint, quod ex indice patebit, quem in fine, loco corollarii, adjungemus.

II. Jam, ut in rebus aliis usus laudem, crimen abusus habet: ita etiam cum *Jubileo* comparatum est, ut verus ejus usus meritò laudetur, abusus autem vituperetur. Nam & in nostrâ Ecclesiâ ad imitationem instituti Divini in V. T. Jubileæ celebrata sunt, & adhuc celebrantur, quando vel seculum finitum, vel certa annorum periodus in Ecclesiis, scholis, curiis, conjugiiis, &c. absoluta est, ad memoriam communium & specialium Dei bene-

bene-

beneficiorum renovandam, præsentibus ac posteris, quibus ista parùm aut penitus ignota sunt, ad perpetuam recordationem commendandam, & singularem lætitiã ac gratitudinem declarandam, atque in aliis similem pietatem ac devotionem excitandam. Ita in Saxoniam, & invitantibus ac incitantibus Theologis Saxonis, in aliis quoque regnis ac provinciis, *Jubileum* Ecclesia Lutherana in memoriam *Reformationis*, per D. *Martinum Lutherum* factæ, solennissimè celebravit, d. 31. Octob. & d. 1. 2. Novemb. cujus historiam vid. In *Sleidano* contin. P. 4. l. 6. §. 29. p. 441. seqq. & Admirandis Divinis Saxonis *M. Lungwitzii* lib. 2. c. 6. p. 30. Similiter *Jubileum* Ecclesia Lutherana celebravit, in memoriam *Augustanæ Confessionis* Carolo Ao. 1530. oblatae, quò de Electoralis instructio & totus ejus processus vid. apud *Tob. Heidenreich* in Chron. Lips. p. 307. 415. & *Lungwit.* l. 2. c. 7. p. 43. seq. Jussu quoque Electoris ac Ducis Saxonie *Johannis Georgii II.* in memoriam pacis religiosæ anno 1655. in omnibus ejus provinciis *Jubileum* celebratum est, quo de vid. *Joh. Georg. Schlederus* in Theatr. Europ. contin. septennio ab A. 1651. ad 1658. Idem Serenissimus Elector jam A. 1676. Torgæ de *Jubileo* ob conservationem *Christianæ Concordiæ* celebrando, cum Proceribus Aulæ & nonnullis Theologis deliberavit, teste *B. Schertzero* in Dedicat. System Theol. sed ipse tamen morte præventus, hæc Eucharisteria solvere non potuit, relinquens Ecclesiæ & Provinciis omnibus hæc sacra solennia in Dei honorem peragenda. Ita jussu *Caroli XI.* Svecorum Regis in memoriam Concilii *Upsalensis*, quo ante centum annos Augustana Confessio publicè in regno Sveciæ assumpta est, A. 1693. *Jubileum* in omnibus provinciis celebratum, cujus acta in Academia *Gryphisvaldensi*, ibidem edita prostant. Academia quoque Evangelicæ ob secula sua feliciter finita, *Jubilea* instituerunt, *Wittebergensis* quidem primum celebravit Ao. 1602. quo de acta ibi edita testantur. *Francofurtana ad Oderam* itidem primum Anno 1605. *Lipsiensis* alterum celebravit Ao. 1609. d. 4. Decembr. teste *Sleidano* contin. P. 3. l. 34. §. 123. p. 1498. *Rostochiensis* Ao. 1619. d. 12. Novemb. itidem alterum. *Tubingensis* alterum Ao. 1677. *Jenensis* primum instituit Ao. 1658. Etiam nostra *Academia Regiomontana* Ao. 1644. *Jubileum* celebravit, & eodem anno promotionem in omnibus facultatibus instituit solennissimè: vid. Historia hic edita. Academiæ imitatae sunt *Schole celebres*, & quidem Schola provincialis *Henneberg Schleusingæ* *Jubileum* celebravit Ao. 1677. d. 8. Octobr. *Gymnasium Elisabethanum Wratislaviense*

DE JUBILEO

4  
*uiense* Ao. 1662. d. 31. Aug. indicente Martino Hankio memoriam secularem in programmate ibi edito. *Gymnasium Dantiscanum* celebravit suum jubileum An. 1658. in cujus memoriam summus cufus est, cujus facies una fontem exhibet cum lemmate: *Faecundat, quodcunque rigat:* altera lauream præfert (*δειγματα* gentilitia 4. Scholarcharum continentem,) cui inscriptum: *Anno Gymnasio Gedanensi seculari. postrid. Pentecostes 13. Junii.* Vid. Nova Liter. Lub. A. 1700. p. 67. Idem de aliis *Berolinensi, Thoruniensi, Elbingensi, &c.* si charta admitteret, afferre possemus. In his omnibus Jubileis Evangelicis finis ac scopus primarius est, Dei honor & gloria, ad quem omnia opera nostra tendere & collineare debent, monente Paulo Col. III. 17. *Civitates* etiam tum secula, tum certas annorum periodos, quibus in Politia res memorabiles gestæ sunt, festivitate quadam sacra recoluerunt: Quemadmodum initio hujus anni 1700. Lubeca libera urbs imperialis carmine seculari vernaculo ad felicitatem suam recolendam ipsis Januarii calendis festum celebravit, quo de nova Literaria Lubec. anni hujus p. 32. videantur. Quod institutum, cum Dei laudes & beneficia concernat, nullibi non locorum observatum est, & observabitur. Imò & certæ personæ in curia, schola, ecclesia conjugio, officii vel conjugii memoriam semisecularem festo quodam jubileo celebrarunt. Sic *Johannes Elblein* Senior in Senatu Eislebensi ab Ao. 1563. ad 1613. per annos 50. Senator d. 2. & 3. paschatos festum quoddam peregit, quo de M. Joh. Fabri ejus loci Superintendens in Jubileo Elblin. Schleusingæ edito. Ita in conjugio 50. annis cum una conjuge feliciter transactis, jubileum quoddam instituerunt *Daniel Lünckner* Senator Marpurgensis Ao. 1580. *Nicolaus Vahrenbübler* J. U. D. & Consiliarius Württembergensis Anno 1600. vid. Faber l. c. *Joh. Wahl* Senator & Camerarius Dantiscanus 1664 d. 17. Jun. in cujus memoriam Natan. Dilger Sermonem ex Psalm. 128. habuit ibidem editum. Recordor, Francofurti ad Oderam An. 1683. 4. Febr. festum gamicum celebrasse, *Dn. Joh. Thiel*, Camerarium Urbis, qui cum conjuge *Anna Witzelovia* 50. annos in conjugio transegerat, & propterea Deo publicè in Ecclesia gratias agebat voce Ministri, in cujus memoriam Collega & Compater meus per 20. ann. fidelissimus, *D. M. Gotthilff Treuerus*, Archidiaconus Eccl. Francof. meritissimus, scriptum edebat, quò ex Tract. D. Steuberi de Conscient. plura talia exempla collegit, aliaque memorabilia exhibuit, quæ hujus chartæ angustia non capit, digna autem, quæ in gloriam Dei, posteris relinquantur. Nuper admodum

dum

dum Lubecâ accepimus Epithalamium, Jubileo Gamico Viri venerabilis Dni. *M. Bernhadi Krechtgingii*, ædis Marianæ ultra 50. annos meritissimi & totius Ministerii Lubecensis jam Senioris gravissimi, & Margarethæ Stolterfothæ, quâ cum is per quinquaginta annos felici vixerat conjugio, die 29. April. fausto auspicio celebrato, scriptum à Francisco Wörgero: cui hæc rara gaudia meritò gratulamur, & tranquillam ac vegetam senectutem apprecamur.

III. Verùm Jubileum Romanum, cùm neque hunc finem ac scopum, neque debita veri jubilei requisita habeat, sed potius multis erroribus & peccatis scateat, meritò *Pseudojubileum* audit, licet in Ecclesiâ Romanâ Pontificii Scriptores multis illud elogiis exornent. Certè meliore jure querelæ & planctus ob illud jubileum, cujus celebritate ac solennitate ebucinatâ multi inter Evangelicos moti Romam non absque conscientia suæ læsione tendunt, ab Evangelicis institui possunt, quam ab *Adamo Conzen* Jesuita, qui, celebratò Jubileo A. 1617. in Ecclesiâ Evangelicâ, lacrymas emisit, & librum initiò A. 1618. evulgavit, quò *Jubilum Jubilorum Jubileum Evangelicum, & pias lacrymas omnium Romano-Catholicorum* exhibere voluit, scribens in præfat. ad lectorem, non modò inconditissimum esse jubilatum, sed etiam luctuosissimum, utpote eorum, qui funera, & exequias religionum suarum festâ lætitiâ & pompâ triumphali prosequantur. Idem p. 2. & 3. seq. Tractatus, quo Protestantium libros recenset ac censet, ita gemit: *Causa lugendi vetus, sed nova occasio. Vetus est causa, annus enim centesimus agitur, annus secularis, quo filia populi mei tot bona perdidit, tot mala admisit & patitur, & jure meritò mala patitur, quia contemptu virtutum, cupiditate vitiorum sibi comitem culpæ pœnam attraxit. Nova est tamen in malo inveterato flendi occasio, quia de mali annositate, nova congratulatio instituta est, ad communem lætitiâ, populi felices errore suo, quasi ad ludos seculares, nulli iterum spectandos, invitantur. De Wittembergâ & Lipsiâ programma mittitur, cunctique populi ad religionis centenariæ festam lætitiâ convocantur, ludosque, quos nullius viventium secundo spectabit ætas. Vix de manibus projecta quiescebant Wittebergensia schediasmata, cum Heidelbergâ in emulationem Saxonum alterius & inimicæ religionis ovatio defertur, ne contra Neccari mediocritatem vasto se flumine attollens gloriatur Albis. Hæc cum desleo, lacrymasque scribo, tam Heidelbergæ quam Wittebergæ Tuba commissos medio canit aggere*

*ludos. Nemo meas carpat lacrymas, nemo invidiosè aut calumniosè interpretetur, humanas miseras flere, hominum est, nec ullus adeò ferreus esse debet, ut si illi molle cor, & in alieno dolore teneros affectus natura denegavit, dolentium & misereantium fletus, humanitatemque extinctam velit. Musica in luctu est importuna narratio: scio planè: & luctus in musicâ, gemitus in theatro, Cato in floralibus, lacrymæ meæ in jubileo & júbilo, opportuna esse non possunt. Defleo tamen gaudia illa, & vel importunus prodesse cupio, memor Dominum meum Jesum exultanti letitiis Hierosolymæ lacrymas intulisse. Me delectare non possunt gaudia, quorum causæ dolendæ sunt. Quæ verba, etsi ansam quoque præbeant examini ac refutationi rerum, quas significant atque proponunt, causa nobis jam sunt tristandi & lugendi: ob tot Christianos religioni Pontificiæ addictos, qui Romam profecti sunt, ibique partim zelo *ειδωλουμανίας* confirmati, partim scandalizati; ob tot Evangelicos, qui novam Jubilei solennitatem videndi causâ eò confluxerunt, & conscientiam læsam retulerunt; ob constantiam Doctorum in Papatu, qui licet vitia & errata satis grandia in jubileis à Nostratibus ob oculos posita, cernant ac fortè agnoscant, perseverare tamen in erroribus malint, quam respicere. Non tamen illis, quibus parùm jucunda, imò molesta sunt, sed Nostratibus hæc scribimus, ut partim videant, quæ erronea sunt, partim caveant, quæ peccaminosa sunt. Nec nova, nec omnia hic proponere animus est, quæ de Jubileo Romanensi afferri possunt, cum & prostant de eo scripta nostratium quamplurima olim edita, & hoc anno hic & alibi vulgata adhuc passim, quæ illud non immeritò improbant, quibus Tractatus vernaculus Joh. Christoph. Linekogel Pastoris in Holsatiâ, qui 21. capitibus absolvitur, quorum ultimum est de Auctoribus, qui de A. J. egerunt, in novis literariis maris Balthici M. Jan. p. 28. annumeratur. Nos præsentis disputatione tantùm notiores errores & extantiora peccata strictim proponemus, ut Nostrates discant & cognoscant, qui possunt & debent, cæteri pœniteant, qui volunt.*

IV. Videbimus I. *ERRATA FIDEI*, quæ verbo Dei & Doctrinæ ecclestis veritati Christianæ contrariantur, non tamen omnia, sed quædam tantùm & quidem strictim ac breviter, efflagitante id Disputationis modulo. Inter hæc Primum esto: *Pontificem Romanum ex potestate plenitudinis Apostolicæ, Jubileum Romæ indicere, ad idque omnes Christiani orbis convocare, maximos, medioximos, minimos.* Verùm (I.) illa pote-

pote-



potestas Apostolica, quam Papa sibi vendicat, in sacrâ scripturâ nullum habet fundamentum, nec vestigium ullum ostendi potest, quo talis potestas indicendi & convocandi, atque Jubileum tale instituendi concessa sit. Equidem clavium potestas Ecclesiæ data est, non Romanæ, sed Christianæ; non tamen illa cum Papali hac potestate convenientiam habet, neque includit ejusmodi permissionem, ut Papa in Ecclesiâ pro suo arbitrio & plenitudine potestatis decernere, ac statuere & facere possit, quæcunque velit. Revocamur Jes. VIII, 20. *ad legem & testimonium. Quod si non dixerit* (fecerit quispiam) *juxta verbum hoc, non erit ei matutina lux.* Nec sufficit, Papam venditari Catholicæ Ecclesiæ Monarcham & caput: nam hoc *μοναρχικόν* Christus est, cui soli veri capitis requisita, competunt, & præterea nulli alii Eph. I. 22. Col. I. 18. (2.) Ordinatio Jubilei, & convocatio totius orbis ad illud, non est potestatis Papalis; sacerdotibus enim & ministris Ecclesiæ *τὴ ἑσω* interna, Principi verò & Magistratui civili *τὴ ἔξω* sive externa Ecclesiæ gubernanda & dispensanda concredita sunt. Patet hoc exemplis Regum ac Principum Veteris Testamenti, ubi conventus & Synodi, ac festorum solennitates, in populo Dei non ab Aarone Sacerdote, sed à Mose gubernatore populi, à Josua & Judicibus, & postea à Regibus convocari fuere solitæ. Multò magis autem illud jus convocandi in Novo Testamento competit Christianis Principibus, idque inter hos sibi ipsi tribuit Constantinus M. apud Euseb. lib. 4. de vitâ ejus c. 18. 22. 23. 24. Tribuunt ipsi Pontifices Imperatoribus, Leo epist. 24. ad Theodosium, & epist. 43. ad Martianum, Gregorius lib. 9. epist. 43. ad Theodoricum, item veteres Doctores Hieronymus Apolog. 11. adversus Ruffinum, Socrates lib. 5. Hist. Eccl. in proem. & alii, effato Apostolico nixi. Rom. XIII. 1. (3.) Jubileum ipsum Romanum destituitur requisitis Jubilei eucharistici, & vero fine, neque convenit cum Jubileo Judaico, sive centesimo, sive quinquagesimo quoquo anno Romæ celebretur. Nam observatio quinquagesimi anni apud Judæos, partim ob memoriam temporum (quorum numeratio per 50. commodior est) partim ad familiarum conservationem directâ erat; quippe pauperibus consuluit Deus restitutione fundorum, cæterorum verò restinxit mutationes & venditiones. Ut adeò nihil commune habeat Jubileum Romanum cum Judaico, quod alii prolixè ostenderunt, & ex §. 8. itidem perspicuum erit.

V. Alterum est: *Jubileum Romanum templis SS. Apostolorum & B. Mariae, quae Romae sunt, alligari, ad obtinendas indulgentias.* Nam (1) vetus error est, templa & alia aliis sanctiora loca, sive ex voto, sive religionis causâ, visitare, peregrinationibus susceptis, quarum origo inter Christianos absque dubio debetur peregrinationibus Hierosolymam, & in terram sanctam, quas ipsi Patres, cum vota & superstitiones accederent, maximè improbarunt, inter quos vid. *Hieronym. epist. ad Paulinum & Gregorius Nyssenus in gravi quadam epistolâ*, quam ad amicum eâ de re ex professo scripsit, quam *Hospinianus lib. 2. de orig. Templ. p. 310. seq.* inseruit, illustravit, atque ab objectionibus Bellarmini masculè vindicavit. (2.) Peregrinationes ad templa & sepulchra sanctorum, quae seculo VI. coeptæ, progressu temporis, promissionibus indulgentiarum largissimarum intervenientibus, auctæ & confirmatæ sunt. Nam de Carolo M. consentiunt Historici, quod intra annos 47. quater Romam profectus sit, ut vota persolveret, Lateranensem & cæteras ædes sacras inviseret, ibique oraret. Jam A. 1300. à Bonifacio VIII. jubileo instituto, promissâ omnium peccatorum largissimâ veniâ, si illo anno Romæ Basilicam Petri & Pauli visitarent Christiani, superstitio crevit, Bullâ eam confirmante, quæ sic habet: *Antiquorum habet fida relatio, quod accedentibus ad honorabilem Basilicam Principis Apostolorum de Urbe, concessæ sunt magnæ remissiones & indulgentiæ. Nos igitur, qui juxta officii nostri debitum salutem appetimus & procuramus libentius singulorum, hujusmodi remissiones & indulgentias omnes & singulas ratas & gratas habentes, ipsas auctoritate Apostolicâ confirmamus, & etiam innovamus, & presentis scripti patrocinio communimus, statuentes, ut qui voluerint hujusmodi indulgentiæ à nobis concessæ fieri participes, Romam ad minus 30. diebus, peregrini diebus quindecim ad basilicas easdem accedant. Unusquisque tamen plus merebitur & indulgentiam efficacius consequetur, qui basilicas ipsas amplius & devotius frequentabit.* (3.) Sed ubi Apostolica auctoritas, quâ fretus Bonifacius indulgentias Basilicæ Petri & Pauli alligatas promisit? Apostolus contrariatur apertè, dum *omni in loco viros orare jubet, I. Tim II, 8.* non, ac si oratorium publicum, in quo Christiani ad precandum certo tempore conveniunt, vel templa prohibeat, sed ut animis nostris religionem propter loca eximat, cum locus ipse sanctiorem & gratiorem Deo orationem nostram haud efficiat. (4.) Christus ipse quoque circumstantiam illam loci in Novo Testamento

stamento sustulit Joh. IV. 23. *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate: nam & Pater tales querit, qui adorent eum.* Et B. Stephanus Act. VII. 48. *Excelsissimus in manufactis templis non habitat, sicut Propheta dicit: I. Reg. VI. 1. Bene Chryostomus Homil. de cruce & latrone, Tom. 3. f. 301. b. Judæos iussit uno in loco sacrificium celebrare, quia tunc omnis terra immunda fuit. Nobis autem, quoniam Christus adveniens omnem terram emundavit, omnis locus orationi vacat. Ecce totus mundus emundatus est, elementa purgata sunt, ut ubique nobis Deum liceat prædicare, & omnis terra sanctior illo loco est, qui illo in tempore prædicabatur sanctum sanctorum.*

VI. Tertium est: *Non solum plenam & plenioram (longiorem), imò plenissimam omnium peccatorum veniam hoc jubileo concedi. Cum voces indulgentia & venia, in Bullâ Bonitacii, quæ extat in Extravag. commun. lib. 5. tit. 9. de pœnitentiis & remiss. promiscuè usurpentur, ex Johannis Andreae, qui eodem tempore vixit, observatione annotamus, Papam interrogatum, quid sit plenissima indulgentia? respondisse Consistorio: esse indulgentiam adeò plenam, prout clavium potestas se extendit. Glossator verò in Extravagant. disputans, cur Bonifacius centesimo Jubileo instituerit, reddit hanc rationem: Quod in Jubileo contritis & confessis duplex indulgentia concedatur, culpæ videlicet & pœnæ. Et postea addit: Per istam indulgentiam fit totalis culpæ remissio, & totius pœnæ indulgentia: & quia talis est sine obligatione ad pœnam, si sic moritur, statim evolat, & habet ingressum domus cœlestis. Sciendum igitur (1) quod in Ecclesiâ primitivâ vox indulgentiarum respectum habeat ad Satisfactiones, per disciplinam Ecclesiasticam injunctas, consistentes partim in deprecationibus (vid. Cyprian. de unit. Ecclesiæ Tr. 3. Tertullianus lib. de pœnit. c. 4 & 7.) quibus pœnitentes DEO simul atque Ecclesiæ, quos peccando offenderant, satisfaciebant, partim in contritionis & castigationis exercitiis, humicubatione, fletibus, statione ante vestibulum ædis sacræ, advolutione ad genua, sacco, & similibus pœnitentiæ veræ signis (vid. Gabr. Albaspinæus lib. 2. observat. 26.) quibus dolorem testabantur, & errorem commissum confitebantur. Atque hæc satisfactiones, minus propriè ita dictæ, Ecclesiæ tamen, cui scandalum datum fuerat, debitæ, cum sæpius ad plures annos pro gravitate delicti extendere-  
rentur, (vid. Gregor. Thaumaturgum epist. de iis, qui in captiv. idolis immol.*

*M. Antonium de Dom. l. 8 de Rep. Eccl. c. 8. §. 14. Alabassinum* obs. ad Opt. Milevit. lib. 2. obs. 22. sqq.) ac propterea, satis longæ, laboriosæ, & admodum difficiles redderentur; ab Ecclesiâ ejusque Rectoribus, ex jure sibi competente, ob causas graves vel augeri vel abbreviari ac relaxari, solebant, teste canone V. antiquissimi Concilii Ancyran, prouti vel cordis durties, vel humilitas in homine id requirebat. Antiquitus autem ista temporis satisfactioni ac deprecationi in foro Ecclesiastico statuti, mitigatio vel remissio, dicebatur *indulgentia*. Si verò tempus illud injunctum, sine abbreviatione aut relaxatione, adimplebatur, Deum *plenis satisfactionibus* deprecari pœnitentes dicebantur, ut Cyprianus l. c. loquitur. Ut adeò *indulgentiæ* nil aliud olim fuerint, quàm satisfactionum & pœnitentiarum canonicarum relaxationes, teste Apologiâ Augustan. Confess. pag. 198. *Indulgentiæ olim erant condonationes publicarum illarum observationum, ne nimium gravarentur homines*, vid. B. D. Chemnitius P. IV. Exam. Conc. Trid. f. 737. (2.) Sed quid commune cum his Jubileæ indulgentiæ plenæ habent? Nihil certè quicquam. Nolo indulgentiarum Papalium ex Paulo Jovio, Gvicciardino, Alphonso de castro, Thuano, Marco Anton. de Dominis, & aliis pluribus Pontificiis improbationem prolixè huc transferre. Nostri Confessores in articulis Mantuæ vel alibi exhibendis ita de iis loquuntur, P. 3. art. 3. p. 324. *Hac de causâ sedes ista Romana sancta misera Ecclesiæ subveniebat, & indulgentias effingebat, quibus remittebatur & abolebatur expiatio seu satisfactio, primùm particulatim, ad annos septem, centum & c. & eas distribuebant inter Cardinales, & Episcopos ita, ut quidam annos centum, quidam ad dies centum, indulgentiam conferrent. Totam autem satisfactionem relaxandi potestatem sibi reservabat. Hac ratione cum accresceret pecunia, & nundinatio bullarum esset fructuosa, excogitavit annum aureum, Jubileum verè auriferum (Zubel-Jahr / Guldens-Jahr) quem Romæ celebrare voluit. Hunc appellabat remissionem omnis culpæ & pœnæ. Accurrebant igitur plurimi, quia ab onere molestissimo liberari unusquisque cupiebat. Hoc erat effodere & conquirere thesauros terræ. Mox Papa annos aureos multiplicabat, & alium supra alium accumulabat, & quo plus auri devorabat, eo plus fauces ipsius appetebant. Ideoque per Legatos suos mittebat annos istos passim in provincias, quoad omnia templa & domus annis aureis opplerentur. Tandem irruerat etiam in purgatorium ad defunctos, primùm Missarum & vigiliarum*

rum

rum fundatione, deinde indulgentiis & anno aureo, & animas tam vili pretio aestimabat, ut unam sex nummis liberam pronuncians dimitteret. (3.) Nimirum Papa Romanus tribuit sibi possessionem clavium *The-sauri Ecclesiae*, cujus ipse sit promus condus, in quo asservari perhibet superabundantiam satisfactionum & meritorum Christi, & ne à certatim accurrentibus exhauriatur, opera supererogationis sanctorum iisdem accedere, quibus sic adimpleatur, ut superfluat. Sic enim Clemens in Extravagante *Unigenitus* ait: *Ad cujus quidem thesauri cumulum, beatæ Dei Genetricis, & omnium electorum à primo justo ad ultimum, merita adminiculum præstare noscuntur.* conf. Leonis X. Papæ decretum, *Alphonsus de Castro* in op. adv. hæreses t. 3. contra Lutherum, *Joh. Fischerus* Episcop. Roffensis artic. contra Lutherum art. 18. *Franc. Polygranus* contra eund. & alii plures Pontificii, partim doctrinæ novitatem, partim rei indignitatem, partim enormem abusum candidè agnoscentes. Nos tantum errorem ingentem annotamus, quod satisfactionibus Christi, qui solus Redemptor ac Mediator est, merita Sanctorum adjungantur, quasi adminiculum præstent merito Christi; etenim si illo indiget, ex sese minimè sufficiens esse potest. Blasphemia autem est, asserere, sanctorum merita ad remissionem poenarum delictorum nostrorum inservire, cum DEUS pro remissione nihil accipiat, quam Filii sui pretiosum sanguinem & mortem. Denique (4.) ut aliis pluribus omillis, indicetur etiam, cur *plena, pleniores ac plenissima* dicantur *indulgentiæ*, ratio petenda est *partim* à plenitudine thesauri, qui semper abundat & superfluit; *partim* à numero annorum & dierum, quem superant, siquidem indulgentiæ impertiuntur, quæ ultra exactam mundi ætatem & longius sese extendunt. At illa plenitudo thesauri, cum ex passionibus Christi & sanctorum invicem commixtis abundare & constare statuatur, derogat plenitudini ac perfectioni passionum Christi, ut ante dictum est. Annorum autem numerus, qui etiam mundi ætatem superat, indulgentiarum plenariarum quidem nota certissima, sed & erroris atque stoliditatis est. Nam in libello indulgentiarum Romano refertur, in Ecclesia S. Eusebii intra Romæ pœnœria, pro singulis diebus septuagesies & octies mille annos optimæ notæ indulgentiarum asservari; in æde verò S. Laurentii extra Urbem esse stationem & indulgentiam plenariam, undecim mille annorum & quadraginta octo tempora, quadraginta dierum una cum remissione partis tertiæ, omnium peccatorum, atque ibi liberari animam de poenis purgatorii. Quid illa ultima

verba designent, in scrinio Papæ inquirendum est. Interim uni homini, qui centesimum vitæ annum rarissimè attingit, mille & plurium annorum indulgentias donare, vanitatem animi arguit; cum enim indulgentiis pœnitentiæ redimantur, longissima autem pœnitentia vitâ diutius durare nequeat, stolidum est, uni homini, eique interdum seni, pœnitentias mille annorum injungere, ut totidem annorum indulgentiæ tribui quoq; possint. Hypothesis de purgatorio, in quo etiam post hanc vitam pœnitentiæ multorum annorum præstandæ, & consequenter remittendæ, falsa & antiquitati prorsus ignota est, quia ultra vitæ humanæ congruentes annos haud extendit. Vid. *Augustinus* enchir. ad Laurent. cap. 119. & inter Pontificios *Magister Angularis* ad Wesselum de Indulg. *Zechius* de indulg. & jubil. cap. 4. §. 3. p. 64 & §. 7. seq. Quæ causa est, ut cum tot & tantæ indulgentiæ in jubileis & quidem plenariæ ita passim venderentur, jam vilesceret clavium & literarum Apostolicarum auctoritas, teste *Platinâ* in vitâ *Bonifacii IX.* p. m. 249.

VII. Quartum est: *Remissâ culpâ superesse pœnas propriè tales, commutari autem æternas virtute clavium in temporales, post hanc vitam in purgatorio luendas, sed relaxabiles per indulgentias papales.* Sane μέγα λίαν αἰτήμα, imò πρῶτον ψεῦδος, quod indulgentiis plenariis præsupponendum ac effingendum erat. Et nihilominus Concilium Tridentinum ceu veritatem cœlestem anathematis fulmine tuetur, Sess. 6. can. 30. *Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc seculo, vel in futuro, in purgatorio, antequam ad regnum cœlorum aditus patere possit, anathema sit.* Verum (I.) quomodo iste error de pœnâ post remissionem peccatorum reliquâ, vel colore etiam aliquo pingi ac fingi potest? In sacris literis pro eo ne vestigium quidem reperire licet. Equidem exempla occurrunt, ubi post remissionem reconciliatis passiones contigerunt, quæ allegari pro errore plerumque solent; sed nihil ad rem faciunt, cum illæ castigationes & calamitates propriè pœna non sint, nec à Deo irato proficiscantur. Quod monet *Apologia* pag. 193. *Et ut hæc afflictiones plerumque sint pœnæ peccatorum, tamen in piis habent alium finem, potiore scilicet, ut exerceant eos, ut inter tentationes discant querere auxilium Dei, agnoscant dissidentiam cordium suorum &c.* Sicut *Paulus* de se inquit II. Cor. I. 9. *Sed ipsi in nobis sententi-*  
ant

am mortis habuimus, ne consideremus nobis ipsis, sed Deo excitanti mortuos. Et Esaias XXVI. 16. Angustia, in quâ clamant, disciplina tua est ipsis, hoc est, afflictiones sunt disciplina, quâ Deus exercet sanctos. Et mox pag. seq. 104. Mors ipsa servit ad hoc, ut aboleat hanc carnem peccati, ut prorsus novi resurgamus. Neque jam in morte credentis, postquam fide terrores mortis vicit, ille aculeus est, & sensus iræ, de quo dicit Paulus: Aculeus mortis peccatum est, potentia verò peccati lex. Illa potentia peccati, ille sensus iræ, verè est pœna, donec adest, mors sine illo sensu iræ propriè non est pœna. (2.) Licet autem ex nostris Doctorebus, quidam reatum pœnæ temporalis post remissionem peccatorum admittant, non tamen in sensu cum Pontificiis, sed in vocabulo tantùm conveniunt, à nostris latius ac minus propriè accepto; illi autem pœnas propriè dictas intelligunt, quæ virtute satisfactoriâ pro peccatis pollent. Quis sensus Apologiæ sit, ex responsione ad objectionem Pontificiorum constat, cum ait p. 194. Objiciunt de Adam, de Davide, qui propter adulterium punitus est. Ex his exemplis faciunt universalem regulam, quod singulis peccatis respondeant propriæ pœnæ temporales in remissione peccatorum. Prius dictum est, sanctos sustinere pœnas, quæ sunt opera Dei, sustinent contritionem seu terrores, sustinent & alias communes afflictiones. Ita sustinent aliqui proprias pœnas à Deo impositas, exempli causa. Et hæ pœnæ nihil pertinent ad claves, quia claves neque imponere, neque remittere eas possunt, sed Deus sine ministerio clavium imponit & remittit. Nec sequitur universalis regula: Davidi propria pœna imposita est. Igitur præter communes afflictiones alia quædam purgatorii pœna est, in quâ singulis peccatis singuli gradus respondent. Ubi docet hoc scriptura, non posse nos à morte aternâ liberari, nisi per illam compensationem certarum pœnarum præter communes afflictiones? At contra sæpissimè docet, remissionem peccatorum gratis contingere propter Christum, Christum esse peccatorem peccati & mortis, quare non est assequendum meritum satisfactionis. Et quamvis afflictiones reliquæ sint, tamen has interpretantur præsentis peccati mortificationes esse, non compensationes aternæ mortis, seu pretia pro aternâ morte. Job excusatur, quod non sit afflictus propter præterita mala facta. Itaq; afflictiones non semper sunt pœnæ, aut signa iræ, imò pavidæ conscientie docendæ sunt, alios fines afflictionum potiores esse, ne sentiant se à Deo rejici, si in afflictionibus nihil nisi pœnam & iram videant. Alii fines potiores sunt

considerandi, quod Deus alienum opus faciat, ut suum opus facere possit. Sicut longâ concione docet Esaias c. XXVIII. & Christus Job. IX. 3. Conf. Jer. XLIX. 12. 2. Cor. XII. 9. & Gregorius ibidem p. 195. allegatus. (3.) Insignis error est, *eternas pœnas virtute clavium mutari in temporales; quamvis sint, qui cum Tappero in explic. art. 6. Lovan. Cajetano Tr. de contrit. qv. IV. & Bonaventura III. Sentent. dist. 20, q. 3. statuunt, pro culpâ & pœnâ æternâ satisfactiones fieri.* Alii tamen inter culpam & pœnam distinguunt. Apologia ad suos Auctores provocat, quando ait pag. 184. *Sed tamen fatentur Adversarii, quod satisfactiones non prosint ad remissionem culpæ. Verùm fingunt satisfactiones prodesse ad redimendas pœnas, seu purgatorii seu alias. Sic enim docent in remissione peccati Deum remittere culpam, & tamen quia convenit justitiæ Divinæ punire peccatum, mutare pœnam æternam in pœnam temporalem. Addunt amplius, partem illius temporalis pœnæ remitti potestate clavium, reliquum autem redimi per satisfactiones. Nec potest intelligi, quarum pœnarum pars remittatur potestate clavium, nisi dicant, partem pœnarum purgatorii remitti, quâ ex re sequeretur, satisfactiones tantum esse pœnas redimentes purgatorium. Et has satisfactiones dicunt valere, etiamsi fiant ab his, qui relapsi sunt in peccatum mortale, quasi verò divina offensâ placari queat ab his, qui sunt in peccato mortali. Bene autem mox addit Apologia pag. 185. Hæc tota res est commentitia, recens conficta sine auctoritate Scripturæ & veterum Scriptorum Ecclesiasticorum. Ac ne Lombardus quidem de satisfactionibus hoc modo loquitur. (4.) Insignis error est, pœnas æternas mutatas in temporales in purgatorio luendas esse. Nam (α) nondum probatum est, dari purgatorium, & quæ ex sacris literis probationes afferuntur, tam fallaciter ac perperam detorquentur, ut simpliciores quoque Laici ineptias illas cognoscant, ac refutare norint. (β) Nondum probatum est, temporales pœnas post pœnitentiam seriò actam luendas esse, uti hoc asserit Bellarminus l. 4. de pœnit. c. 6. ex concil. Trid. Sess. 14. can. 12. Ubi enim seria pœnitentia & remissio peccatorum, ibi nullæ remanent pœnæ, quia Christus non pro æternis tantum, sed temporalibus etiam pœnis satisfecit, quod pœnitenti imputatur. (γ) Minimè omnium probatum est, illas pœnas in purgatorio luendas, ut inde per satisfactionem liberentur homines, aut luant ea, quæ in pœnitentiâ non satis luerunt homines, vel morte præventi, vel quod non tantum satisfactionis impositum à Confessionario ipsis fuerit,*

fuerit,



fuerit, quantum vigor iustitiæ aut æquivalens postulasset. In Sacrà Scripturâ ne gry quidem hujus figmenti reperitur; interim conscientia miserè excruciatæ, in satisfactiones hæc tota hominum fiducia coniecta, & fides cum ipso Christo sepulta fuit, quod breviter, sed graviter Lutherus in artic. Schmalcald. pag. 323. seq. *Ceterùm satisfactio longè perplexior est. Nemo enim scire poterat, quantum faciendum esset pro uno tantum peccato, nedum pro omnibus. Hic arte utebantur, & parum satisfactionum imponebant, quæ etiam facile servari poterant, ut quinque orationes Dominicas, jejunium unius diei &c. cætera quæ in pœnitentiâ desiderari dicebant, relegabant ad purgatorium. Hic quoque magna calamitas oriebatur. Quidam enim metuebant, se in æternum ex purgatorio non liberari posse, cum secundum veteres canones, pro uno peccato mortali pœnitentia septennis seu septem annorum constituta esset. Et tamen fiducia semper collocata erat in nostro opere satisfactionis, ac, si satisfactio potuisset esse perfecta, tota fiducia in eam coniecta fuisset, nec opus fuisset Christo & fide. At impossibilis illa erat. Et si quis centum annos pœnitentiam ista ratione exercuisset, nondum certus tamen de sufficientiâ, perfectione, & sine pœnitentiâ suæ fuisset. Hoc scilicet erat perpetuò pœnitere, & nunquam ad pœnitentiâ pervenire. (5.) Insignis error est, pœnas illas in purgatorio per indulgentias papales esse relaxabiles, & actu relaxari. Bellarmino lib. 1. de Indulgent. cap. 8. §. Ex his, indulgentia est remissio pœnæ debitæ, in foro pœnitentiario extra Sacramentum data per applicationem satisfactionum, quæ in thesauro Ecclesiæ continentur. Distinguit autem inter remissionem pœnæ, quæ fit per modum absolutionis, & quæ per modum suffragii satisfactorii sit. Illam vivis contingere ait, per absolutionem à pœnis, & per solutionem, vel compensationem pœnarum ex thesauro satisfactionum; hanc verò ad defunctos pertinere, ubi Pontifex per solam solutionem & compensationem ex thesauro applicat, quantum satis sit ad compensandam pœnam. Verùm quam grandis error hic sit, ex præcedentibus constat, & ostenderunt prolixè post Chemnitium part. IV. Exam. Concil. Trident. Hunnius in libr. de indulgent. Balduinus, Franzius, Gerhardus, Höpfnerus & alii. Pejoris autem exempli res est, quod Pontifices in bullis suis, non tantum indulgentias ejusmodi conceperunt, sed etiam per modum mandati Angelis injunxerunt, ut animas ex purgatorio tradueant. Ita enim Clemens V. Ao. 1313. cruce signatis in bullâ suâ olim immunitatem*

concessit: *Nolumus, ut pœna inferni sibi aliquatenus infligatur; concedimus insuper cruce signatis ad eorum vota tres aut quatuor animas, quas velint, ex purgatorio posse eripere.* Et postea: *Mandamus Angelis, quatenus animam purgatorio penitus absolutam in paradysi gloriam traducant.* Hanc bullam ex M S E. cod. evulgavit Johannes Hornbeck A. 1653. Simile mandatum Angelis datum habet Bulla Clementis VI. pro Romipetis Jubileariis, quam ex tractatu *Job. Phesten* Professoris Friburgensis de materiis indulgentialibus A. 1472. exhibet mysterium Pleslei, qui videatur. Quia autem ipsi Pontificum moderatiores tales bullas malunt suppressas, & ejusmodi potestatem Papæ non concedunt, non opus est verbis ad tantum fastum reprimendum. Certè potestas clavium in terrâ solùm exercetur, juxta Christi mandatum Matth. XVI. 19. *Autus igitur solvendi & ligandi, qui ad homines in terrâ restrictus est, ad eos extendi nequit, qui infra terram sunt.* Quod movit Papam *Gelasium*, ut confessus sit, *non posse Episcopum Romanum cuiquam mortuorum peccata remittere*, vid. commonitorium ejus ad Faustum Legatum, & *Cajetanus* ad c. l. qui idem cum eo sentit. Et si Papa mortuos solvere posset, posset quoque ligare (in solvendo enim & ligando totus & adæquatus effectus clavium consistit, nec patitur separationem) Sed posse Papam ligare mortuos, qui non ligati decesserunt, non Pontificii ipsi admissuri sunt: admittant igitur & hoc, quod mortuos non magis solvere valeat, quam ligare. Cura enim Episcopi non ad mortuos, sed vivos spectat, nec mortuorum, sed vivorum Episcopus est. Nihil itaque ipsi juris vel potestatis in mortuos est.

VIII. Quintum est: *Reductionem anni Jubilei à centesimo ad quinquagesimum, ad figuram & similitudinem Judaici Jubilei factam esse.* Jubileum Christianum ad imitationem Jubilei Judæorum Papa Clemens VI. instituit, annum centesimum Bonifacii VIII. ad quinquagesimum reducens, An. 1350. eumque Jubileum primus appellavit, uti ex bullâ patet, in Extravagant. commun. lib. 5. tit. 9. c. Unigenitus, ubi verba hæc leguntur: *Nos autem attendentes, quod annus quinquagesimus in lege Mosaicâ, jubileus remissionis & gaudii sacerque dierum numerus, quo lege fit remissio, censebatur. Quodque ipse quinquagenarius numerus in Testamentis V. & N. singulariter honoratur; Quodque huic plura & gaudia divinarum adaptantur mysteria Scripturarum, & clamorem peculiaris populi nostri Romani, videlicet hoc similiter supplicantis, ac nos ad in-*  
*star*

star Moysi & Aaron per proprios & solennes nuncios ad hoc destinatos specialiter orantis pro toto Christiano populo, & dicentis: Domine, aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ vivæ &c. Volentesque quamplurimos hujusmodi indulgentiæ fore participes, cum pauci multorum respectu propter vitæ hominum brevitatem valeant ad annum centesimum pervenire, de fra. no. Con. prædictam concessionem indulgentiæ ex supra scriptis & aliis justis de causis ad annum quinquagesimum duximus reducendum. Verùm supra jam dictum est, inter Jubileum Romanum & Judaicum nullam esse convenientiam, cum fine tantopere differant. (1.) Non sufficit, quod Crantzius lib. 9. Metrop. cap. 43. scribit: *Rationabilis hac visa est tum omnibus jubilai institutio, quod ad figuram Vet. Testamenti aptaretur, & quod brevis hominum vita ad centesimum pertingere non posset.* Posterior causa hujus reductionis ad quinquagesimum annum satis rationabilis, cum paucissimi annum vitæ centesimum attingant; sed eo ipso adversatur Bonifacio VIII. qui centesimum quemlibet annum festivitati jubileæ destinavit, cumque correxit, ideò, quod paucissimi ob vitæ brevitatem ad indulgentias jubilei secularis adspirare possint. Rationabilior autem videtur causa, quod Romanæ sedi & curiæ, aut Papæ cognatis fructuosus videretur, ac centesimus nimis diu expectandus esset. Prior ratio in solo numero annorum fundatur, cæterum cum Judaico neutiquam congruit. (2.) Jubileus Judaicus quantum ad literalem sensum, eo fine à Deo institutus erat, ut terra vacaret, i. e. non araretur, & quæ suâ sponte ferret, quinquagesimo quoque anno tribulibus & extraneis communia essent: ut libertate donarentur servi, debitores à Creditoribus laxarentur, prædia æstimatis ex æquo fructibus & impensis possessoribus antiquis restituerentur, quemadmodum *Moses* Levit. XXV. *Josephus* lib. 3. *Antiqq.* & *Eusebius* l. 8. de Præpar. Evang. cap. 2. prolixè referunt, eosque inter postremus ex Philone rationem vacationis agrorum & alia proposuit. Quantum ad sensum mysticum, annus ille non obscure Christum respexit, qui ipsemet illius significationem aperuit Luc. IV. ex Jes. LXI. se esse eum, qui verum Jubileum veramque libertatem annunciet, non tubâ arietinâ, sed Evangelicâ, quod scil. per gratiam Dei in Jesu Christo omnibus ubique credentibus debita remittantur, quæ verissima eorum libertas sit, Joh. VIII. Cum neutro convenit jubileus Romanus. Non cum Judaico sive Levitico, quia in eo, nec servi libertati restituuntur, nec debita aliis à creditoribus remittuntur, nec agri ad familiam redeunt, &

C

quæ

quæ alia illius requisita sunt. Non cum *Christiano*, quia hic ab initio prædicati Evangelii ad finem mundi durat, nulli tempori vel loco affixus; Papisticus autem tempore & loco definitus est; Luc. XVII. 20. *Iste propter merita Christi solius fide apprehensa remissionem confert; hic meritis Sanctorum & operibus supererogationis eandem tribuit. Iste gratis peccatorum remissionem offert; hic lucrum & quæstum quærit.* Alias differentias præterimus. Positò (3.) quod Jubileus Romanus per omnia Leviticum referret, tamen ideò rejiciendus ac improbandus esset, quod ceremonia Veteris Testamenti reducta esset, jampridem Christi adventu & prædicatione abrogata. Illicitum autem esse figuras & umbras veteres in Ecclesiam reducere, docet Paulus Col. II. 16. Hebr. X. 1. improbatum etiam in jure Canonico de consecrat. Dist. 3. cap. 29. *Antiquis figuris & umbris, & ad veritatis præfigurationem sanctæ Ecclesiæ traditis valedicentes, gratiam & veritatem præferimus.* Et causa 12. q. 2. c. 11. verba Hieronymi allegantur, huc maximè facientia, quæ ibi legi possunt. Tandem si quinquagesimus annus ad figuram Judaici institutus est, cur Papa Urbanus VI. jubileum singulis 33. annis peragi decrevit? anne vita Christi tot annorum potior ratio est, quam Jubileus Judaicus? Et si hic firmo statuto, cur Paulus II. & Sixtus IV. reduxerunt tandem ad 25tum annum? Causa in promptu est, & vel solo clamore populi Romani supplicantis manifestatur.

IX. Sextum est. *Neminem consequi Jubileum, qui differt confessionem in diem nativitatis anni sequentis, cum tunc porta sancta clausa sit.* Nimirum annus est, qui numero 365. dierum definitur, incipiens à primis vespers nativitatis Dominicæ, ac desinens anno sequenti in vesperrâ vigiliæ ejusdem festi. Hinc (1.) perspicuum est, jubileum, uti personæ Papæ, qui gratiam Romanam impertit solus, & urbi orbis, ita & tempori alligatum esse, ut elapso hoc tempore nulla amplius spes indulgentiarum superfit. Cessant propterea durante Jubileo omnes aliæ indulgentiæ, & pro suspensione earum, bullæ quoque à Pontificibus Romanis editæ sunt, Sixto IV. & qui eum secuti sunt, Gregorio XIII. Clemente VIII. Urbano VIII. Verba Sixti IV. in Extravagant. lib. 5. tit. 9. c. 4. ἐν συνόψει ita habent: *Quia tam Nos, quam Paulus Prædecessor noster multorum Principum & aliorum fidelium pulsati precibus diversas indulgentias & peccatorum remissiones plenarias nonnullis Ecclesiis, monasteriis, & piis locis duximus concedendas: propter quas populorum forsitan concursus*  
ad

ad Basilicas & Ecclesias ante dictas retardari, aut ipsius anni jubilei celebritas minui, vel intermitti posset, cum animarum non modico detrimento. Nos qui universorum credentium salutem prospicere adstringimur, (ne propter aliarum indulgentiarum à Nobis vel Prædecessoribus concessarum, hujusmodi effusionem, hoc sanctum opus ac remissionis & gratiæ annus jubileus intermittatur, aut fideles ipsi à tanto munere redantur expertes,) remediis opportunis providere volentes, omnes & singulas plenarias, etiam ad instar jubilei ac etiam commutandi voti &c. etiam in casibus sedi Apostolicæ reservatis-quomodolibet concessas & concessas, & imposteriorum forsitan concedendas vel concedenda, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium, de Apostolicæ potestatis plenitudine usque ad nostrum & ejusdem sedis beneplacitum suspendimus, illasque durante beneplacito nostro & sedis prædictæ suspensas esse volumus, nec interim alicui suffragari: indulgentiis tamen Basilicarum dictæ urbis in suo plenario robore durantibus. Districtius inhibentes alias indulgentias, præter istas duntaxat, in locis publicis vel privatis prædicari aut nunciari, eorumque prætextu à Quæstoribus aliquid exigi quoquo modo. Nolo rationes suspensionis, quæ in promptu sunt, allegare, vid. Prost. cap. 5. dub. 7. & Vivianus in Rationali Jur. Canon. lib. 5. tit. 38. qui Romano-Culinariam explicatam exhibent, nos enim non immoramur iis, quæ per se patent, & ipsis adversariis tædiosa sunt. Interim (2.) ex indulgentiarum ad jubileum alligatione, aliarumque alibi concessarum suspensione, clarè patet, plenum indulgentiarum tribuendarum jus ad solum deferri Pontificem, huicque tempus inservire, annum scilicet jubileum, ut finem præfixum consequatur. Sed finem suum non obtinent, quibus indulgentiæ suspenduntur, siquidem hi anno hõc longius peccatis & pœnis, sive vivi sive mortui obstructi tenentur. Et licet vivi per Jubileum, novâ acquisitione tempus redimere queant; mortui tamen atque in purgatorio existentes se liberare non possunt, nisi superstites cognati vel amici eorum animabus gratiam aliquam præstent, vicesque sustineant. Non dicam nunc, suspensionem illam cum potestate clavium minimè convenire, quia pœnitentibus ex mandato Dei, confestim annuncianda & conferenda est remissio, non verò retardanda. Sed (3.) ipsa quoque temporis & jubilei anni observatio cum Dei verbo non congruit, nec annus ille per se aliis non est sanctior aut beatior. Uti annus Bis-sextilis non est annis communibus infortunatior aut pejor, licet vulgo inledeat opinio de isto, quem *Schalt-Jahr* vocant

Germani, fortè à Romanis ad istos derivata, de quibus Alciatus ad l. 98. ff. de verb. signific. refert: *Veteres Romanos appellitasse diem intercalarem infustum atque atrum.* Ita secularis annus vel quicumque alius in quovis seculo in jubileum transubstantiatus, nullam habet præ aliis communibus aliquam prærogativam, neque sanctitate in se, neque felicitate gaudet aliquâ, cum idem sol & hunc & alios faciat, volente Creatore Gen. I. 14. quæ causa est, quod dierum & annorum observatio prohibetur Coloss. II. 16. quia sub Veteri Testamento ad festorum, sabbatorum & annorum observationem homines adstringebantur; cujus leges ac ritus, cum fuerint umbra futurorum, in Novo Testamento cessarunt. In Scripturâ nullum fundamentum aut vestigium reperitur, quod dies vel annus hic vel ille accommodatior aut sanctior sit, ad consequenda spiritualia; sed potius omnium communitas in bonum universum indicatur. Jer. XXXI. 35. Sirach. XLIII. 2. & 6. sqq.

X. Septimum: *Ad omnium flagitiorum ac scelerum absolutionem & indulgentiam Jubileum prodesse.* Ita enim Diana part. I. tract. II. Resol. 16. pag. 154. *Qui peccat ob spem absolutionis obtinende virtute jubilei, quamvis enormia quæque scelera committat, jubileum illi prodest; quia nulla fit hujus confidentiæ exceptio in bulla.* Hic (1) rursus inter jubileum & alia tempora distinguitur, quod iste largiatur plenariam indulgentiam, alio tempore non sperandam, quæ tamen prærogativa nullibi in scriptura sacrâ fundatur, imò improbatur, uti ex præced. §. constat. (2.) Quantitas & magnitudo peccatorum, uti mensuranda est ex lege Divinâ, quam transgrediuntur, eandem contemnendo, Deumque infinitum ac summum legislatorem despiciendo; ita eorundem remissio non dependet à tempore aliquo definito, sed à solâ gratiâ Dei in Christi merito perfectissimo fundatâ, cujus sanguis pretiosus dicitur. I. Pet. I. 18. quia sanguis est ipsius filii Dei proprius. Matth. XXVI. 28. I. Joh. I. 7. Agnoscit Clemens VI. Papa sufficientiam in unâ sanguinis guttulâ, Extravag. c. II. unigenitus de poen. & remiss. *Agni immaculati pretioso sanguine nos redemit, qui in arâ crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad verbum, pro redemptione totius generis humani suffecisset, sed copiosè velut quoddam profluvium noscitur effuisse.* Licet autem una gutta non sufficiens fuerit, ratione totius meriti & consilii Divini; benè tamen à Clemente & aliis, nostrisque quibusdam Doctoribus dicitur, sufficientem respectu personæ infinitæ æstimari

mari

mari, quando scil. Christi sanguis ἀπὸ λῶς consideratur, non quatenus ad mortem θεανθρώπου effusus est. Quævis enim guttula mediatorii sanguinis est ipsius infiniti & immensi Jehovah, adeoque infinitæ atque immensæ efficaciam sanguinis. Sed unica sanguis gutta non propriè sanguinis effusio dicitur, multominus occisio. Initium effusionis factum in circumcissione Luc. II. 21. continuatio in agonismo Luc. XXII. 44. flagellatione & coronatione v. 63. sed consummatio in crucifixione & lateris apertione. Hinc fons est remissionis peccatorum, etiam gravissimorum, & maximorum, omnibus pœnitentibus ubique patens, ut expectatio certi alicujus anni non necessaria sit. Verùm errant (3.) Pontificii, quando ex eo, quod una gutta sanguinis Christi pro mundo redimendo sufficiens λύτρωσις sit, concludunt, reliquum sanguinem esse superfluum, qui debeatur thesauro Ecclesiæ & dispensationi indulgentiarum. Hinc *Barradius Tom. 4. lib. 6. c. 5. n. 3.* & *Cajetanus Opusc. Tom. I. tr. 9.* Christi satisfactiones vocant *superfluas*, & *Bellarminus lib. I. de Indulg. c. 2. propos. 3. & c. 8. prop. 1. supervacaneas*; at ubi in sacris literis tales phrales leguntur? Si tanta sanguinis effusio est superflua & supervacanea, non necessaria illa fuit, sed frustranea, otiosa & inutilis. Ne verò consequentia hæc inferatur, commentum Pontificiorum illam superfluitatem & superabundantiam thesauro Ecclesiæ destinavit. Omnino ἀτερ γεσθησ. Quare distinguendum inter superabundantiam meritorum Christi biblicam, quæ de Rom. V. 5. 17. 20. Eph. I. 7. II. 7. & superfluitatem ac supervacaneum Papistarum, scripturæ ignota figmenta. Vid. *Hülsemannus in manu duct. Conf. Aug. Disp. 18. n. 10. p. 946. seq.* Denique (4.) Indulgentia jubilea, cum nullam habeat scelerum exceptionem, sed omnium flagitiorum plenariam remissionem promittat, quid aliud causatur, quam ut homines ad peccandum proniores & audaciores fiant, scientes jubileum appropinquare, quo veniã plenissima & absolutio in omnibus casibus reservatis certa expectetur. Nec diffitentur hanc lernam malorum quidam Pontificii scriptores, qui de multorum sceleratâ vitâ sub Papatu conqueruntur, & largiorum indulgentiarum concedendarum occasionem esse scribunt. Inter hos *Boëthius Epo de Indulg. pag. 50.* *Extra statuta, inquit, indulgentiarum generalium seu jubilei tempora, Pontifices pro re natâ temporumq; ratione solent plenissimas indulgentias concedere, &c. Atque nos quidem per hæc tempora variis variorum scelerum perpetrationsibus contaminati conspurcati que, vel frequentissimè plenissimis indulgentiis*

*tiis tanquam plenissimo copia cornu prorsus indigemus.* Certè ingenua confessio, sed quæ sanctitati Ecclesiæ Romanæ non parum derogat, quam tamen aliàs ceu notam quandam infallibilem veræ Ecclesiæ nobis opponere solent. Verùm illa sanctitas ex propriis Papatus historicis & testibus graphicè descripta est à *Matthia Flacio* in catal. test. ver. *Plesseo* in myster. iniquit. Capello in Tr. de Rom. Eccl. Sanct. & aliis, ut facies inde Ecclesiæ Romanæ minime sancta & pura appareat.

XI. Octavum: *Ex plenitudine potestatis Apostolica Papam in votis dispensare, & pia opera injuncta in alia posse commutare, & sic jubilei participes facere petentes.* Nota aliàs potestas Papalis in dispensationibus; sed per jubileum longè amplior & major demonstratur. Nam in votis, quæ sanctè aliàs servanda sunt, Papa pro lubitu dispensat, & in aliis operibus piis mutationes instituit, prout sibi & aliis videtur proficuum & salutare. Ita Romæ incolæ Basilicas visitant 30. continuis diebus, peregrini ex dispensatione tantùm 15. diebus. Qui Romam versus iter facere nequeunt, per dispensationem Ecclesias in patriâ invisunt: quæ substitutio in statis jubileis cœpit sub Sixto IV. Anno 1475. cujus exemplum postea secutus est Alexander VI. Ao. 1501. referente Polydoro Virgilio l. 8. de inventor. cap. 1. Sic quando in bullâ non præscribuntur certæ preces, per dispensationem sufficit, quascunque preces & quacunque linguâ orare, etiam cum socio alternatim preces recitando, & hoc sedendo, stando, atque operto capite: imò pro jubileo obtinendo sufficit etiam quæcunque minima & brevis. Sufficit orare juxta mentem Pontificis intentione virtuali, nec est necesse, ut sit actualis. Gregorius XIII. in suâ bullâ decernit, participes etiam fieri hujus jubilei, qui post iter ad urbem susceptum illud perficere ob aliquod impedimentum non potuerint, aut in morbum inciderint, & sive in viâ, sive in urbe ipsâ ab humanis excefferint, verè poenitentes & confessi. Sed Antonius Diana in Resolut. Moral. P. 3. tr. 12. resol. 53. addit, favorem jubilei esse personalem, ac proinde visitatis Ecclesiis nihil referre, ubi quis jejunet, confiteatur, communicet &c. ita ut si quis post publicatum jubileum visitaverit alicubi Ecclesias, & compellatur postea ex aliquo negotio inde discedere, alibi præstando reliqua opera præscripta, jubileum lucrari possit. Idem part 5. tract. 12. resol. 57. *Confessarius, qui habet facultatem dispensandi juramenta, potest etiam dispensare in juramentis promissoriis Deo factis.* Et tr. 5. resol. 56. *Potest, inquit, confessarius virtute jubilei commutare juramentum solvendi usuras*

*suras*



*suras & juramenta injusto metu extorta, & vota in favorem tertii facta, nondum tamen acceptata.* Et P. 5. tr. 12. resol. 13. 40. 42. scribit, quod valeat illa commutatio voti, sive dispensatio, quam quis virtute jubilei obtinuit, etiamsi postea per negligentiam non sit consecutus jubileum: neque enim obligari eum, qui virtute jubilei obtinuit commutationem voti, lucrari jubileum sub peccato mortali. Docent Juris Canonici Doctores, quod etiam illi, qui omnia opera pro jubileo lucrando necessaria, etiam ipsam confessionem, & communionem in mortali existentes præstiterint, jubileum lucrari possint: videtur enim sufficere, ut die Dominicâ in ipso jubilei termino in gratiam cum Deo redeat, quamvis invalida fuerit confessio & communio in peccato mortali facta. Item, quod opera requisita, ut jejunia, eleemosynæ, confessio, communio, per confessarios possint mutari in alia. Quod virtute jubilei per concessionem Papæ, ex hac vitâ decedentes, absque confessione, communionem, extremâ unctione, plenissimam peccatorum remissionem obtineant, docente ita praxi Gregorii XIII. qui peste grassante Venetiis jubileum eò misit, ut omnes verè poenitentes omnium peccatorum remissionem habeant, teste Cicarellâ in vitâ Gregorii XIII. Hæc & alia plura, quæ chartæ angustia non admittit, plenam & magnam Christi que vicariam potestatem Papæ satis superque indicant, cum plus indulgeat, quàm ipse Christus. Nam (1.) Christus juxta legem vixit ac fecit, eamque perfectè implevit, Papa autem contra legem Divinam facit ac dispensat, quæ dispensatio non potestatis, sed temeritatis ac levitatis nota est. Juramenta cum invocatione nominis Divini facta, sanctè servanda esse docet ac jubet lex Divina; sed Papa juramenta fidelitatis rescindit, & subditos Principis adversæ religionis ab iisdem absolvit, ac liberos præstat, uti exemplum in subditis Ludovici Marchionis ac Electoris Brandenburgici *Disput. de Excommunicatione Francofurti* allegavi, plura autem alibi leguntur. Nos tantùm hic de potentiâ loquimur, ac dicimus, non licere, nec posse in juramentis super relicta, à Papa dispensari: quia obligatio juramenti est juris naturalis, quod in se est indispensabile; præcipuus juramentorum finis, qui est securatio rei promissæ, concessâ hac dispensandi hominibus facultate, corrueret ac subverteretur; obligatio juramenti spectat ad internum conscientie forum, in quod nihil juris relictum est homini, & quia omne juramentum fit Deo, nemo id remittere potest, nisi is, cui factum est. Lex divina vult ac præcipit, ut juramenta servantur, ne assumatur nomen Do-

mini

mini in vanum: Et quamvis rei sub juramento promissæ, ac superiori sub-  
 jectæ præstatio, etiam à superiore vi imperii ac jurisdictionis prohiberi ac  
 remitti possit; (siquidem actus inferiorum in tantum sunt validi, in quan-  
 tum non præjudicant juri superioris, qui dum juramentum rescindit, uti-  
 tur jure suo; ) minimè tamen competit Papæ, cujus absolutæ & œcume-  
 nicæ potestati juramenti, ceu rei spiritualis, dispensationem, tribuunt Pon-  
 tificii; sed potius seculari potestati, inprimis illis, penes quos Majestas civi-  
 lis est, hanc potestatem ac facultatem vindicamus. Ut enim hi Dei in  
 terris sunt vicarii, & imperium celsissimo inter homines fastigio positum  
 moderantur: ita æquitati & justitiæ conveniens est, ut inferiores omnes  
 suas actiones ad voluntatem superioris componant, atque ordinent. Vid.  
*Grotius de J. B. & P. lib. 2. cap. 13. §. 20.* & ad eundem *Osiander, Suetoni-  
 us in Tiber. cap. 35.* & *Ferd. Vasquius de success. creat. lib. 2. §. 18. (2.)*  
 Lex Divina prohibet conjugia in gradibus illicitis; Papam autem contra  
 legem Dei dispensare posse docent Pontificii: Nimirum in gradibus Levit.  
 18. prohibitis, excepto primo gradu consanguinitatis in lineâ tam directâ  
 quam transversâ, ac primo gradu affinitatis, in lineâ directâ, Cajetanus  
*in art. 9. quest. 159. in Thomam 22.* Bellarminus *libr. de matrimo. tom.  
 3. c. 27. col. 1420. seqq.* Gregorius de Valentia *Tom. 4. Disp. 10. qu. 5. punct.  
 3. pag. 2264. seqq.* Lorinus *in Levit. 18. comment. pag. 537. seqq.* Sanderus  
*tract. de schism. Anglic. lib. 1. p. 28. seq.* Idque praxis etiam papalis con-  
 firmat exemplis: nam ex dispensatione Pontificis Romani Emanuel Rex  
 Portugalliæ duas sorores successivè habuit uxores, & Henticus Rex An-  
 gliæ Arturi fratris defuncti uxorem duxit; & Ferdinandus Rex Siciliae so-  
 rorem Patris sui in matrimonio habuit. Quæ dispensatio minimè pro-  
 bari potest, cum solius supremi legislatoris sit remittere ac dispensare le-  
 gem datam, ac propterea leges à Deo latæ nulli homini, & supremi Magi-  
 stratus leges, nullis subditis sunt dispensabiles. Contrariatur illa dispen-  
 satio partim juri naturæ, partim juri Divino in scripturâ, ut videre est  
 Matth. V. 14. I. Tim. V. 21. Jacob. IV. 2. Deut. IV. 2. Et sic de cæteris dis-  
 pensationibus, quæ verbo Dei adversæ sunt, sentiendum. Quod verò  
 (3) dispensationes attinet vötorum, & operum aliorum, quæ in sacrâ  
 scriptura nullum fundamentum habent, in Romanâ tamen Ecclesiâ ob-  
 servantur, atque probantur, uti sunt vota monastica, peregrinationes ad  
 sepulchra, & reliquias sanctorum, jejunia, eleemosynæ, & quæ sunt alia  
 exercitia vel satisfactiones hominibus pro peccatis injunctæ: in iis quidem  
 Papa

Papa

Papa juxta statum Ecclesiæ Romanæ, cujus caput is ab omnibus agnoscitur, pro lubitu disponere, dispensare, commutare & tollere potest, quia jure facit humano, ab ipsis Pontificibus lato & confirmato; sed uti pleræque omnia, in quibus dispensatio fit, superstitiones & ἐθελοθρησκείαι sunt, quæ mandatis Divinis contrariantur, ita rectius faceret Papa, si libertati Christianæ restitueret, quæ nullâ opus habent dispensatione aut relaxatione, vel tolleret prorsus ea, quæ sunt ἀντίγραφα, aut superstitione laborant insigni.

XII. Nonum: *Operibus piis homines mereri fructum jubilei.* Cùm merita operum aliàs ubique commendent Pontificii, non mirum, eadem pro fructu quoque jubilei requiri, qualia sunt confessio, communio, processio, oratio, jejunium, visitatio Ecclesiarum, altarium, reliquiarum, eleemosynæ, & alia pœnitentiæ opera, quæ ut Petrus Prost de Jubilæo c. 5. dub. 6. loquitur, *omnes in admirationem rapiunt.* Qui ibidem ita pergit: *Quid dicam de supplicationibus, & se piè verberantium flagellationibus? hæ sanè maximæ sunt omnibus edificationi.* Interdum permultos unius societatis nudis pedibus, incedentes, sacco coopertos, capistrum collo gerentes, & divinam misericordiam altâ voce implorantes videre est, &c. *Sanguis in tantâ copiâ flagellorum vi effunditur, ut quemlibet ad pietatem moveant: alii eò fervoris & excessus veniunt, ut disciplinarum loco catenis utantur, & hac ratione per civitatis compita spatiantur, altâ voce à Deo petentes, ut sibi peccata remittat.* Multi quatuor Ecclesias aperto capite maximo silentio & devotione invisunt. *Alii genibus nudis à scalâ D. Petri ad Sanctorum usque Apostolorum altare perreptant, & deinde per totam Ecclesiam spatiantur.* Alii à sanctâ Potentianâ genibus nudis montem illum ac sancti Sacramenti sacellum usque scandunt, & quamvis lapides minuti, quibus mons ille scatet, carnibus infigantur, nihil penitus de fervore remittunt, imò inauditâ patientiâ omnem hunc laborem Dei causâ tolerant. Laudantur & approbantur hæc pia opera etiam à Cornelio à Lapide in Levit. XXV. Verùm (1.) in Scripturâ sacrâ non inveniuntur, quippe nec à Deo mandata, neque piorum & credentium exemplis confirmata; quin potius rejecta & improbata legimus omnia pia opera, quibus homo mereri aliquid apud Deum conatur, Rom. XI. 35. Luc. VII. 10. conf. §. seq. (2.) Meritum Christi & operum humanorum merita non magis coalescere possunt, quam mors & vita, lux & tenebræ: quare omnes, qui gratiam Dei & fructus spi-

D

rituales

rituales partiuntur inter merita Christi & merita operum, tantum derogant merito Christi, quantum merito operum adscribunt. Nam Scriptura meritoriam gratiæ & salutis Divinæ causam ita Christo tribuit, ut omnia opera, quocunque nomine veniant, rotundâ orationis formâ excludat: Jes. XLIII. 25. LXIII. 3. Actor. IV. 14. Hebr. X. 14. I. Cor. I. 30. 31. (3) Scriptura testatur, Deum gratis, non verò ob nostra opera & merita, dare omnia, præcipuè dona spiritualia, ut sunt remissio peccatorum & salus æterna. Non hic gratiam gratis datam, & gratum facientem, quæ dona sunt Pontificiis supernaturalia, prolixè tangemus; sed hoc dicimus tantum, gratiam Dei illam, quâ justificamur & salvamur, nobis non inhærere, at solius Dei gratuitam & ultroneam benevolentiam esse in Christo; & si nobis inesset, non posset merè gratuita esse, utpote quæ non merâ Dei bonitate & misericordiâ, sed à nostrâ dispositione & qualitate penderet. (4) Non licet opera pia facere intuitu mercedis, tanquam meritis operum debitæ. Nam qui hoc faciunt, gratiâ Divinâ excidunt, nec spem remissionis peccatorum & vitæ æternæ, habere possunt. Luc. XVIII. 9. 10. seq. Rom. IX. 30. 31. seq. & quamvis Moses alique sancti in cursu pietatis suæ ad *μίσθωσις* respexerint Hebr. XI. 20. nunquam tamen ad mercedem, operibus ex justitiâ rigidâ debitam, respexerunt, sed gratuitam pietatis compensationem expectarunt. (5.) Enumerata illa pia opera, quibus fructum jubilei mereri volunt, non sunt pia & Deo placentia opera: quia *partim* sunt opera operata, quæ non sunt bona opera; *partim* verbo Dei contraria, & solummodò mandata hominum, non Dei; *partim contaminata* superstitionibus atque erroribus, quæ in se aliàs bona essent, uti sunt jejunium, oratio, confessio, communio; *partim* inutilia, peccaminosa, superstitiosa, ambitiosa, quæ idèò suscipiuntur, ut perfectio & sanctitas major obtineatur, & mereri sibi & aliis possint. (6.) Omnia illa opera tantoperè laudata ac buccinata à Pontificiis, si difficultatem, asperitatem, dolorem & tolerantiam actionum spectemus, tantum abest, ut quicquam mereantur, ut Ethnicorum atque Turcarum opera, à quibus longè majora & difficiliora præstita sunt, ob eundem finem obtinendum, Pontificiis omninò præferenda veniant. Nam & Turcæ longinquas peregrinationes instituunt, & corpora maximè affligunt, imò carnem suam vulnerant ac secant, & aliis duris exercitiis sese macerant, quæ flagellationes Pontificias longè superant. vid. *Alexander Rossæus de relig. mundi sect. 6. p. 212. seq.* Qui passim & de

de

de gentilibus talia memorat. sect. 2. conf. de Indorum religione *Alexander ab Alexandro, Plinius, & de aliis alii.*

XIII. Decimum: *Ecclesiam, ejusque caput, Papam Romanum religiosos cultus ad gratiam Spiritualem obtinendam, instituere posse.* Notum est, in Jubileo & aliis anni temporibus, ac festis diebus, in Ecclesiâ Romanâ novos cultus religiosos, quos Deus in verbo suo non mandavit, observari, eosque vel à Papâ præceptos, vel ab aliis inventos, à Pontifice tamen Romano approbatos & confirmatos, qui eodem pietatis affectu ac veneratione peraguntur, sicut ab ipso Deo mandati. Jam licet Ecclesia, vel Magistratus Christianus, ceremonias ac ritus, qui ordini, decoro & ædificationi serviunt, introducere possit, modò communi Ecclesiæ consensu fiat, docente Paulo I. Cor. XIV. 40. II. Cor. XIII. 10. tamen cultus novos religiosos, per quos corda hominum ad gratiam præparentur, vel in justitiâ magis crescant, nemini instituere vel præcipere licet, siue Pontifex Romanus, siue alius sit, in dignitate sublimi constitutus. Malè itaque docet Concilium Tridentinum sess. 6. tract. de justific. *Justificatos per observationem mandatorum Dei & Ecclesiæ in justitiâ crescere, & magis justificari.* Malè in jubileo processiones, rosaria, visitationes templorum, sanctorum, altarium, reliquiarum &c. tanquam media religiosi cultus commendantur & mandantur à Papâ ad gratiam obtinendam, & impedimenta gratiæ Divinæ tollenda & averruncanda. Pejus hujusmodi cultus à Doctoribus Pontificiis Bellarmino *lib. 4. t. 1. de Pontif. c. 15. & lib. 2. de Monachis t. 2. c. 16.* Jodoco Tiletano *part. 1. Apol. Concil. Trid. f. 321. seq.* Hagero *collat. August. Confess. & Concil. Trident. art. 6. qv. 1. p. 76. seq.* aliisque propugnantur, & ex Scripturâ magno cum ejus abusu confirmantur. Nam (1.) Deus disertè præcipit, ne ipsum alio cultu honoremus, quàm qui ab eò præscriptus est. Deut. II. 8. 32. V. 38. 39. Num. XV. 39. seq. Ezech. XX. 18. ex quibus oratio ex clusiva, *quod ego præcipio Tibi hoc tantum facito*, conspicitur, quæ evidenter docet, omnem additionem siue verbo, siue cultui Dei; Deo ejusque verbo contrariam esse. (2.) In cultu Divino contra leges, à Deo de eo latis, tripliciter peccatur: *primò* cum feruntur leges, quæ legibus Dei de cultu sibi exhibendo prorsus contraria sunt, siue tacitè id fiat ipsâ praxi, siue expressè, data scil. lege, planis verbis legi Divinæ oppositâ, qualis erat Jeroboami I. Reg. XII. 28. & Achazi II. Reg. XVI. 15. *Deinde*, quando cultus idololatricus cum cultu à Deo instituto conjungitur; quemadmodum Assyrii coluerunt Deum Israël, &

simul idola patrum suorum, II. Reg. XVII. 32. Et Israelitæ Baalem, vitulos aureos, & Jehovam. I. Reg. XVIII. 21. Denique erratur & peccatur etiam, cum instituitur cultus, nec manifestè idololatricus, nec cultui Divino directe oppositus, sed tamen illis, quæ divinitus mandata sunt, arbitrio humano, bonâ licet intentione, aliquid additur, à Deo non præceptum. Ita Israelitæ Babylone quatuor jejunia in memoriam vastationis Hierosolymitanæ instituerunt, in verbo Dei quidem nullo expresso mandato prohibita, attamen hæc ipsa, optima licet intentione, & bono fine introducta Deus improbat Zachar. VII. 3. seq. tanquam cultum præter verbum Divinum, quantumvis optimo fine institutum. Conf. exemplum Nadab & Abihu Lev. X. 1. 2. Num. III. 4. (3.) In Scriptura omnes electitii cultus tanquam ad salutem inutiles improbantur ac damnantur. Nam Christus in cultu religioso absolutè damnat ἐντάλματα ἀνθρώπων Matthi. XV. 9. & Paulus Col. II. 18. seq. penitus improbat ἐθελοθρησκείαν, tùm quia per eam in alio, quàm Christo, quæritur perfectio v. 19. tùm quia est καὶ τὰ ἐντάλματα καὶ διδασκαλίαν ἀνθρώπων v. 22. tùm quia non est vera sapientia, sed tantùm τῆς ποφίας λόγον habet v. 23. Et ne quis putet, damnari tantum ἐθελοθρησκείαν circa res viles occupatam, aut verbo Dei manifestè repugnantem, quod Pontificii objiciunt, ita existimantes: Apostolus h. l. disertè pronunciat, damnari à Deo non tantùm istam ἐθελοθρησκείαν, quæ circa cibum & potum, ejusdemque census res viliores, versatur, sed etiam illam, quæ occupatur circa ea, quæ habent speciem & humilitatis & sapientiæ etiam Angelicæ v. 14. (4.) Speciatim omnes cultus religiosos electitios in jubileo, & aliàs in Papatu consuetos hic allegare, eorumque causam formalem ac finalem verbo Dei è diametro adversam, demonstrare, velle, est rem operosam suscipere, & tamen supervacaneam, cum prolixè alii inter Nostrates id præstiterint accuratissimè & sufficientissimè, ut isto superfedere queamus labore. Patescet ex sequentibus, ubi errata moralia & practica recensemus, quorundam cultuum in Pontificiâ Ecclesiâ superstitio & improbitas. Hic saltè exemplum de processionibus, quibus consecratas hostias circumferunt, adducam, ut ex origine & causâ finali palam fiat, *Urbanum IV.* nec potuisse nec debuisse hujusmodi cultum instituire. Nam sive origo apparitioni Julianæ vel Evæ Monialibus factæ, sive Urbano IV. occasione hostiæ vivum sanguinem effudentis, solennitatem instituenti adscribatur, utrobique tamen nullum fundamentum, error autem

autem

autem apertus deprehenditur. Non credibile est, Moniali Christum apparuisse, eique mandasse, ut festum corporis Christi instituat, idè *Onuphrius Parvinius* in annot. ad vitam Urbani IV. pro fabulâ habet: & meritò, quia Christus eo fine nunquam apparet, ut contra suum verbum & sacramentum quicquam revelet aut mandet. Neque verisimilis est historia, in cuius memoriam solennitas ab Urbano IV. Ao. 1264. instituta, quam *Onuphrius* l. c. p. 203. ita refert. *Dum sacrificulus quispiam sacra missarum solennia celebraret, sacramento jam confecto, de panis & vini transubstantiatione & Christi corpore dubitavit. Unde statim (dictu & auditu mirum) ex sanctissimâ, quam in manibus tenebat, hostiâ, vivus sanguis manare cepit & totam mappam, quam corporale vocant, tinxit. Quo miraculo attonitus Pontifex, Urbanus IV. corporale primùm ad se ab episcopo loci cum processione urbem veterem transferri voluit, & illud solennitate institutâ in Ecclesiâ Urbe vetanâ recondidit: Quæ omnia ex ejusdem Pontificis Bullâ, quæ adhuc extat, intelliguntur. Etenim Urbanus ipse in bullâ, quæ à Clemente V. repetitur in Clement. l. 3. tit. 16. non ad illam causam, sed revelationem provocat. Intelligimus autem olim, inquit, dum in minori essemus officio constituti, quod fuerat quibusdam Catholicis divinitus revelatum festum hujusmodi generaliter in Ecclesiâ celebrandum. Verùm jam isto tempore revelationi fidem multi Ecclesiastici detrectarunt, & ipsam revelatricem calumniati sunt, ut pluribus verbis docet autor vitæ S. Julianæ l. 2. c. 9. & ex eo Joh. Chapeavillus de orig. festi corp. Christi. Nos, origine posthabitâ, erroneum pronunciamus institutum, quia contra Christi verbum & sacramentum est, in panis, qui corpus ejus non est, honorem solennitates indicere, panem circumferre, venerari & adorare, non autem sacramentaliter manducare. Nam quod *Parvinius* cum aliis de mutatione panis in sanguinem referunt, id quidem sapit transubstantiationem, quam Pontificii in consecratione fieri docent, sed errantes, nescientes, ac depravantes Scripturam. Nec hujus loci est, tantum errorem examinare, quod solidè alii fecerunt, interque hos ipse *Lutherus* & *Chemnitius*. Quin potius, missis erroribus fidei, progredimur nunc ad errata morum, strictè ac breviter, modestâ cum censurâ, si ipsa relatio non sufficit, nonnulla tantùm in medium producturi.*

XIV. Inter ERRATA MORALIA referimus I. *Variationem & multiplicationem Jubileorum, pro sine habentem lucrum & multiplicationem pecunie.* Nam *Bonifacius VIII.* qui apud Historicos, etiam Pon-

tificios, malè audit, vitio quoque avaritiæ laboravit, & propter quæstum, jubileum invenit atque instituit primus. Platina de vitâ ipsius p. m. 221. scribit: *Moritur hoc modo Bonifacius ille, qui Imperatoribus, Regibus, Principibus, nationibus, populis terrorem potius, quam religionem injicere conabatur: quique dare regna & auferre, pellere homines ac reducere pro arbitrio animi conabatur, aurum undique conquistum plus quam dici potest, sitiens.* Clemens VI. cum cognovisset, annum primum Jubileum Bonifacio VIII. fructuosissimum fuisse, illam indulgentiarum nundinationem à centesimo anno ad quinquagesimum reduxit, & ut majus inde lucrum expectandum esset, Basilicæ Petri & Pauli ipse visitationem Lateranensis Ecclesiæ addidit. Urbanus VI. ultimo anno Pontificatus sui rursus annum jubileum abbreviavit, ex L ad singulos 33. annos reducens, quod sint anni Christi jubileum prædicantis: constituit ergò, ut tunc Anno 1388. in festo natalis Domini inciperet annus jubileus. Fecit autem hoc majoris lucri causâ. *Est enim hoc novum aucupium, & hic questus est illis longe uberrimus,* inquit Nauclerus gener. 47. Sed Urbanus moriens ante adventum jubilei, Bonifacio IX. omnia reliquit, de quo Theodoricus à Nyem, qui unus ex intimis ejus consiliariis fuit, lib. I. de schismate c. 68. *Bonifacius hujusmodi offertoriis (per Urbanum datis) non contentus, licet ad maximam summam ascenderet, (erat enim insatiabilis vorago, & in avaritiâ nullus ei similis) ad diversa regna misit Quæstuarios, vendendo dictam indulgentiam, & hujusmodi exactores maximas summas pecuniarum à simplicibus, seu barbaris subtiliter extorserunt; ita ut aliquando in uno regno, seu in unâ provinciâ hujusmodi venditionibus ultra centum millia florenorum reportarint.* Quia omnia peccata, etiam sine penitentiâ consentibus relaxarunt, super quibuslibet irregularitatibus dispensando interventu pecuniæ. Idem lib. 2. c. 9. & 10. Non credo, inquit, quod unquam adeo imperecundus & ingeniosus questor pecuniarum repertus fuerit, prout erat Pontifex Bonifacius. Solebat quandoque dicere, quod mallet parvum piscem in manibus habere, quam in dubio Delphinum in mari. Et in hac opinione decessit: nam cuidam in morbo interroganti ab eo, qualiter se haberet, aut sentiret? si pecunias haberem bene starem. Similiter de eo Crantzius lib. II. c. 10. Metrop. Bonifacius, ait, gratias & indulgentias fecit inauditas; & quam facile dedit, tam leviter revocavit: fabulas excitans in orbe Christiano, quod auro expleri non posset. Idem Bonifacius IX. An. 1400. celebravit alterum jubileum,

bileum,



bileum, decem annis post priorem: erat enim auri cupidissimus, & cogno-  
 verat antea, quam hoc esset aucupium quaestuosum. Gobelinus qui eo  
 tempore vixit, de eo cap. 86. ætat. 6tæ scribit: *Postquam jubileus transiit,*  
*ipse Dominus Bonifacius urum annum, sub anni jubilei verbis Romæ*  
*indulgentiarum forma, Coloniensi civitati concessit: Quo anno elapsô si-*  
*milis annus concessus ab eodem Bonifacio sub eadem forma civitati*  
*Magdeburgensi. Et ad utrumque harum civitatum missus est collector*  
*Domini Papæ, qui certam quotam recepit oblatorum. Deinde consimi-*  
*les indulgentias concessit visitantibus quasdam alias civitates Germaniæ,*  
*ad certos menses: & multis aliis locis, urbibus, villis, monasteriis, Eccle-*  
*siis campestribus. In omnibus autem privilegiis earum concessionum appo-*  
*nebatur clausula, porrigentibus manus adjutrices. Eodem anno, eo-*  
*demque fine Antipapa Benedictus XIII. suum quoque celebravit Avenio-*  
*ne jubileum. Paulus II. & Sixtus IV. è quinquagesimo ad 25um annum*  
*reducerunt, qui An. 1475. tum celebratus fuit: ex quo etiam Sixtus, præde-*  
*cessore mortuo, uberrimum etiam quaestum percepit, cæteris Basilicis Ec-*  
*clesiam Mariæ Majoris addens. Idem novam imposturam excogitavit,*  
*& teste bullâ ejus, omnes toto orbe terrarum indulgentias, quæ aliis eccle-*  
*siis, cœnobiis &c. passim concessæ & venditæ erant, revocavit & suspen-*  
*dit, easque Romæ peti atque distribui jussit. Idem anno hoc elapso, licet*  
*maximam auri vim in jubileo collegisset, in alias quoque provincias, ut ma-*  
*jo rem colligeret, Legatos cum indulgentiis misit. Idem Fraternalitatem*  
*Rosarii circa annum 1470. ab Adamo de Rupe Dominicano institutam,*  
*bullis & indulgentiis confirmavit, non sine lucro. Idem Romæ nobile*  
*lupanar extruxit, nonihil emolumenti etiam ex meretricio quaestu ætario*  
 *suo accumulans. Unde Romana scorta in singulas hebdomadas julium*  
*nummum ex ejus institutione Pontifici pendent, qui census annuus non-*  
*nunquam viginti millia (postea 30000.) ducatorum excessit. Sed plura nu-*  
*merare desino. Non tantum Majores nostri experientiam docti, hac de re*  
*conquesti sunt; (conf. §. 6.) Sed etiam Pontificii Doctores jubileis annis &*  
*nundinationibus in iis factis contradixerunt, inter quos Patres in Concilio*  
*Viennensi 1311. post primum jubileum reprehenderunt & damnarunt o-*  
*mneseos, qui plenariam nedum plenissimam peccatorum remissionem*  
*indulgerent, & à pœnâ & à culpâ per indulgentias absolverent. Parisien-*  
*ses Theologi Clementis temeritatem publicè reprehenderunt, & corrigi*  
*petiverunt, teste Wesselo in tr. de Indulg. Papal. Contradixerunt Walden-*  
 ses,

ses, Wiclephus, Rutheni, Sannazarius, Felix, Mallecolus &c. quosque referre mora est.

XV. Erratum Morale II. est, *Pompa Papæ in jubileo, quæ non Sacerdotalis, sed regia & imperialis est.* Nam de Bonifacio VIII. scribunt, quod primo die Pontificaliter indutus populo benedixerit; sequenti die verò imperiali habitu & corona ornatus prodierit in publicum, & gladium vaginâ vacuum ipsi prætulert, addentes ejusmodi acclamationem: *Ecce duo gladii hic; teste Ursperigensi.* Historici mox factum illum annotarunt, inter quos Cranzius lib. 8 cap. 36. Saxon. exclamavit: *Vides ô Petre successorem tuum, & tu salutifer Christe, tuum cerne vicarium. Vide quo ascendit superbia servi servorum tuorum.* Theologi verò duos illos gladios, quia duplex imperium significant, Pontifici non permittunt, docentes, potestatem Ecclesiasticam nec esse Dominatum quendam Politicum, nec absolutam, dictatoriam, & ἀυτοκρατορικὴν quandam potestatem, cum utatur gladio spiritus, verbo sc. & clave, non verò gladio corporali, Politicæ potestati competente, tanquam prætoricæ, cum illa tantum sit ministratoria, ad præscriptum legum Divinarum simpliciter restricta. Nec consistere unâ possunt, ministrum esse Ecclesiæ, & esse Dominum, ac habere absolutam potestatem: cum personæ Ecclesiasticæ non tantum Dei & Christi, sed etiam Ecclesiæ ministri dicantur I. Cor. III. 21. II. Cor. IV. 5. & soli Christo potestas ἀυτοκρατορικὴ, dominatus, principatus ac magisterium absolutum in Ecclesia competat. Joh. XIII. 13. I. Cor. VIII. 6. Col. I. 8. Qui etiam Apostolis eorumque successoribus interdixit dominatum ac principatum in Ecclesiâ Matth. XX. 25. Luc. XXII. 25. Ubi Apostolatus & dominatus ἀυτοκρατορικὸς sibi opponuntur, & τὸ κυβερεῖν Regibus hujus mundi relinquitur, Apostolis verò ac veris eorum in ministerio successoribus adimitur. Sed hac de re alibi & alii sufficienter. Vid. B. Gerhardus de Minist. Eccles. §. 295. ad 323. & §. 105. ad 204. Marsilius Patavinus in defensione pacis A. 1324. edit. Auctor oneris Ecclesiæ A. 1524 edit. Güntherus l. 6. Ligurin. cum comment. Jac. Spigellii, Petrus de Vineis, Albericus Rosates, Antonius Rosellus &c. Nostra Augustana Confessio piè & christiane de hac re loquitur in artic. 7. abus. de potest. Eccl. p. 37. *Magnæ disputationes fuerunt de potestate Episcoporum, in quibus nonnulli incommode commiscuerunt potestatem Ecclesiasticam & potestatem gladii. Et ex hac confusione maxima bella, maximi motus existe-*

existe-

exstiterunt, dum Pontifices freti potestate claviura, non solum novos cul-  
sus instituerunt, reservatione casuum, violentis excommunicationibus  
conscientias oneraverunt, sed etiam regna mundi transferre, & impera-  
toribus adimere imperium conati sunt. Hæc vitia multò ante reprehen-  
derunt in Ecclesiâ homines pii & eruditi. Itaque nostri ad consolandas  
conscientias coacti sunt ostendere discrimen potestatis Ecclesiasticæ & po-  
testatis gladii. Et postea pag. 39. Si quam habent Episcopi potestatem  
gladii, hæc non habent ex mandato Evangelii, sed jure humano dona-  
tam à Regibus & Imperatoribus, ad administrationem civilem suorum  
bonorum. Hæc interim alia functio est, quàm ministerium Evangelii.  
Cum igitur de jurisdictione Episcoporum queritur, discerni debet impe-  
rium ab Ecclesiasticâ jurisdictione. Porro secundum Evangelium, seu  
ut loquuntur, de jure Divino, nulla jurisdictio competit Episcopis, ut E-  
piscopis, hoc est his, quibus est commissum ministerium verbi & Sacra-  
mentorum, nisi remittere peccata. Conf. Origenes in Matth. homil. 12.  
Bernhardus in lib. ad Eugenium Papam, Brentius noster in pass. Christi  
homil. 48. pag. 484. & plures alii.

§. XVI. Errat. Moral. III. est largior illa indulgentia Romana, & om-  
nium flagitiorum ac scelerum absolutio, utpote quæ eorundem occasio  
& causa existit. Contingit proh dolor! ut quando promissiones Evan-  
gelicæ de Christo, & remissione peccatorum per eum consequendâ populo  
proponuntur, multi hac doctrinâ abutantur ad licentiam peccatorum.  
Quorsum Johannes Calvinus procul dubio respexit, cujus verba D. Affel-  
mannus in fine Disput. de fide infantum baptizatorum allegat: *Vix eorum,*  
*inquiens, decimus quisque est, qui alio sine Evangelio nomen dederit,*  
*quam ut solutius in omnem lasciviam deflueret.* Sed nimis dura hæc est  
locutio, quam ego non approbem. Interim verum est, orthodoxam do-  
ctrinam de fide solâ, de salute per Christum, sine nostris meritis ac bonis  
operibus consequendâ, de gratiâ ac misericordiâ in Christo promissâ, de re-  
missione peccatorum absque satisfactionibus nostris, & quæ sunt alia cœle-  
stis veritatis dogmata, à multis Christianis ad libertatem peccandi rapi, ut  
in peccatis suis liberiùs perseverent, & nihilominus remissionem & grati-  
am expectent sperentque doctrinâ salvificâ Evangelii cofisi. Quæ causa  
est, ut Pontificii doctrinam hæc Lutheranorum Doctorum, veram licet,  
& in verbo Dei fundatam improbent, atque rejiciant, prætendentes, studi-  
um pietatis eâdem inhiberi ac everti. Cujus opinionis & Sociniani sunt,  
E  
dispu-

disputantes contra satisfactionem, quod per eam hominibus licentia aperitur peccandi. Sed vanam illam collectionem refutant ipsi Apostoli Rom. III. 24. 25. V. 20. II. Cor. V. 15. Tit. II. 11. 12. 14. Hebr. IX. 14. I. Petr. II. 21. Hoc autem possumus pro certo affirmare, per indulgentias Papales, quæ tam copiose hominibus offeruntur, malitiam eorum augeri, aliisque licentiam peccandi dari. Nam fieri non potest, ut non peiores reddantur, quibus tam liberaliter indulgentiæ plenariæ ac plenissimæ à Papâ promittuntur. *Licentiâ simus deteriores.* Sed quò deteriores sub papatu fiunt homines, eò largiores conceduntur indulgentiæ, non diffidentibus ipsis Pontificiis. Certè ingenua est confessio Sixti IV. in bullâ Extravagant: *Et si Dominici: ubi ratio, cur indulgentiæ revocentur, & Pontifices valere eas nolint, hæc est: (sed quâ sibi & indulgentiis omnibus contradicunt) ne multi remissionis & indulgentiæ obtentu ad peccandum, & illicita committenda procliviores existerent, & facilitas veniæ eis peccandi tribuat incentivum.* Eadem est Boëthii Eponis p. 50. confessio, cujus verba supra §. 10. allegavimus, quibus duo fatetur: (a) *Indulgentiis Romanos frequentissimè plenissimis indulgere;* cujus rei nulla alia est causa, quam quod per indulgentias deteriores facti sunt. (b) *Romanos variis variorum scelerum perpetracionibus contaminatos ac conspurcatos esse:* quò ipso quidem veritatem dicit, sed Romanæ Ecclesiæ sanctitati contradicit, ex quâ tamen, tanquam infallibili notâ, ejusdem Ecclesiæ veritatem & Catholicismum Doctores Pontificii contra nos probare solent. Sed quam egregiè id præstiterint, videre est ex *Flacii* catalogo testium veritatis, *Plessei* mysterio iniquitatis, *Capelli* tractatu, cujus titulus, *Romanæ Ecclesiæ sanctitas*, aliisque scriptoribus.

XVII. Errat. Moral. IV tum est, *Processiones in jubileo Romano celebrari & alibi institui, & magnâ cum pompâ ac solennitate haberi.* Nam, uti earum institutionem, de quâ ante diximus, malè sibi suæque auctoritati Papa vendicat, ita adhuc pejus eadem celebrantur, ob varias superstitiones & idololatricas ceremonias, quæ eas comitantur. Non memorabo originem processionum, de quibus non obscurè Polydorus fatetur, ceremonias earundem maximâ ex parte ab Ethnicis desumptas esse. Vid. is. lib. VI. cap. II. ubi ex Dionysio, Apulejo aliisque (quibus Livius, Macrobius &c. jungendi) refert tales ceremonias, quas Ecclesia Romana in processionibus æmuletur, additâ hac epicrisi p. m. 459. *Nostram igitur, inquit, Ethnicorum æmulationem in supplicationum ritu fastidiam*

*dem*

dem aliquando esset moderari, id quod maturè fieret, si procul à supplicationibus omne ludicrorum genus, ac quicquid contra pietatis cultum est, de medio removeretur. Sufficit illa confessio, supplicationibus & processionibus adhærere, quod contra pietatis cultum est. Addimus, idolotriam insignem committi, quando in processionibus hostia consecrata religioso cultu adoratur: quicquid etiam Concilium Tridentinum sub anathemate contrà pronunciet, sess. 13. can. 6. *Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, atque ideò nec festivâ peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus secundùm laudabilem & universalem Ecclesiæ sanctæ ritum & consuetudinem solenniter circumgestandum, vel non publicè, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatrias, anathema sit.* Nam in processionibus Pontificiis nudus panis, tanquam esset corpus Christi, adoratur, cum tamen panis extra usum non sit *κοινωνία* corporis Christi I. Cor. X. 16. Hinc inter Pontificios multi ad adorationem illam requirunt conditionem expressam vel implicitam: *Adorate, si Deus es.* Adoratio implicat absurdum dogma de transubstantiatione, quod passim à Nostriatibus expugnatum est. Neque vetus Ecclesia persuasa fuit, pani eucharistico hunc cultum competere, & præsto sunt argumenta ex prioribus seculis evidentissima, ignotam prorsus fuisse illam adorationem. Hinc ipsa Synodus Tridentina cap. 5. fatetur, *inductum hunc in Ecclesiam morem, non in eam natum esse.* Quod clarius affirmat Cassander in Consult. art. 12. Certè Martinus V. in bullâ suâ A. 1420. meminit quidem processionum, sed nihil habet de adoratione Sacramenti: nec Eugenius IV. in bullâ suâ A. 1432. adorationis hujus mentionem facit. Pejus adhuc peccatur, quando processionibus hisce idololatricis indulgentiæ promittuntur ac dantur.

XVIII. Errat. Moral. Utum est, *Rosaria ceu efficacia media ad mala declinanda & bona impetranda adhiberi in cultu Dei.* Nam (1.) ipsum Rosarium est inventum Monachale, otiosum, & peccaminosum, mera *ἑλθοβρησικία* & gravis idololatria. Origo rosariorum refertur ad Dominicum, qui fertur lapillos 55. fabricasse, in modum ferti conjunctos, ut inter singulos decem minores unus grandior interponeretur, & hujusmodi ferta vocavit *Patrilogua*, quibus 50. Ave Maria & 5. Pater noster recitantur. Ex Rosariis cœperunt deinde fabricari *Psalteria*, quæ tamen

non differunt, à Rosariis, nisi numerò, quia tria rosaria sive 150. Ave Maria & 15. Pater noster, faciunt unum *Psalterium Mariae*, quia tot sunt Psalmi. Instituta postea fuit Fraternitas de Psalterio Mariae, quam Sixtus IV. additis multis indulgentiis circa An. 1470. confirmavit. Innocentius verò VIII. reliquis indulgentiis addidit plenariam remissionem à poenâ & culpâ, semel in vitâ, & semel in articulo mortis, ingredientibus illam fraternitatem. Vid. *Chemnitius Exam. Concil. Trid. P. 3. pag. 148.* ubi testatur se tria exemplaria Psalterii Mariani (quo Psalmi Davidis ad Mariam accommodantur) vidisse, quorum unum ibi exhibet in seqq. ut idolomania Papalis inde conspiciatur. (2.) Peccatur quoque in origine derivandâ, quæ quidem à plerisque refertur ad Dominicum; qui *modum sive ritum hunc orandi pium & devotum* (ut loquitur Sixtus IV. bullar. n. 18. f. 322.) *invenit & excogitavit*, quâ voce Spondanus ad A. C. 1213. de Dominico utitur. Sunt tamen alii, qui ad Virginem Mariam referunt, ac sibi illa Dominico hunc orandiratum commendaverit, his verbis, ut Bzovius A. 1213. num. 11. refert. *Rosarium institue, eamque precandi formulam, quam tibi trado, homines edoce, ac tum filio meo, tum mihi longè esse gratissimam admone.* Malè autem, si Mariae tribuitur, quod illa non mandavit; pejus, si tribuitur, quod honori Filii & Patris contrariatur. (3.) Peccatur in confirmatione Rosarii, quæ facta est *partim* ordinando & instituendo illud, tanquam medium efficax ad salutem; *partim* largiendo indulgentias cultoribus; *partim* facultatem dâdo fraternitates rosarii & capellas rosarii erigendi. Vid Bullar. in Sixto IV. n. 18. Leone X. n. 46. Clemente n. 40. Pio n. 11. Pio V. t. 2. n. 36. (4.) Peccatur in fine & efficaciâ, inservit enim Rosarium ad indulgentias, & quidem invenit Alanus Monachus, subducto accuratè calculo, omnium illarum summam: *Ad unumquodque scil. Psalterium Mariae datas esse à diversis Pontificibus sexagies mille annorum.* Exserit rosarium efficaciam suam ad Diabolum expellendum, hæreticos coërcendos, Turcas vincendos, ad peccatores convertendos, ægrotos sanandos &c. Imò prodest contra purgatorium & infernum, vid. Bzovius ad A. 1213. n. 10. 12. & 1221. n. 10. f. 294. bulla Pii V. 1569. Leonis X. 1520. Sed ficta est illa efficacia & excogitata, merumque mendacium. Accedit (5.) abusus verbi Dei, siquidem *Ave Maria*, & *Pater noster*, particulae ejusdem sunt; sed non in hunc usum & finem, ad quem usurpant Papistæ, inspiratae. Nusquam reperitur in Scripturâ Sacrà, has particulas rosario esse interendas, earumque repetitione hominem mereri grati-

grati-

gratiam, Deum & Mariam religiosè venerari, & varia bona à Deo impetrare. Peccatur (6.) in adoratione Virginis Mariæ, quæ mater est Dei benedicta, sed non invocanda, eodem religioso cultu & honore, qui Deo soli competit. Nec mandatum, nec promissionem habemus illius invocationis & propterea merito omittenda. Judicium Majorum nostrorum de superstioso illo opere in Aug. Confess. art. 20. p. 16. hoc est: *De decem præceptis, omnibus vitæ generibus & officiis olim parùm docebant concionatores, tantùm puerilia & non necessaria opera urgebant, ut certas ferias, certa jejunia, fraternitates, peregrinationes, cultus sanctorum, rosaria, Monachatum, & similia.*

XIX. Errat. Moral. Vltum est, *Gratia & dispensatio taxæ poenitentiarie Romane.* Nimirum eo tendebat indulgentiarum scopus, ut per eas ingens pecuniæ vis conficeretur. Consentunt in eo Historici, qui modò nundinationes, modo aucupia pecuniæ, modò instrumenta Pontificum ad parandam pecuniam, indulgentias appellarunt. Et testatur *Jovius* scriptor Pontificius in vitâ Leonis X. quod hic adeò plenè & affluenter provinciis dederit indulgentias, ut fidem sacro sanctæ potestatis elevare videretur. Sed ut neminem fugeret, gratiam Romanam non gratis dari, *zelius* indulgentiarum merces venales exponebat, effusionem gratiarum deprædicabat, & tunicam, si quis unam solam haberet, exuendam, & vendendam suadebat, ut tantas gratias obtineret. Concionum <sup>inis</sup> & conclusio hæc semper erat: *imponere, imponere, imponere.* Utque exemplo homines excitarent, primi ad cistam in omnium conspectu processabant, sonoro tinnitu aliquid in cistam conjicientes, & adstantes arripiebant imponentibus, omittentibus indignabantur. Permittebant quidem pauperibus indulgentias istas gratis dari, sed ita, ut primùm undecunque pecunias corradere tentarent à bonis fautoribus. Vid. *Chemnitius Exam. Concil. Trid. P. IV. de Indulg. p. m. 84. 85.* Ideò Leo X. A. 1514. taxam poenitentiarum, quam Prædecessores olim evulgarant, Romæ de novo edidit, quæ Parisiis etiam A. 1520. cum privilegio regio, per *Tossatum Denis* iterum impressa est. Ipsos Pontificios Doctores ad indignationem & commiserationem hæc nundinatio commovit, inter quos *Espenlæus Digress. 2. ad c. 1. Epist. ad Tit.* alique legi possunt. Nam ex taxâ poenitentiarum immane quantum avaritia Paparum, vilipendium peccatorum, horumque licentia permilla, videri potest. Inter alia leguntur hæc in ista taxâ: *Patricidium, matricidium, fratricidium, sororicidium, taxetur pro uno tantum,*

tum, turon. 4. duc. carl. 8. Uxorididum taxatur perinde ac parricidium. Si verò occisor petierit licentiam cum aliâ contrahendi, turon. 8. duc. 2. carl. 9. Pro muliere veneficâ vel incantatrice, postquam superstitiones abjuravit, taxatur turon. 6. duc. 2. Absolutio pro moniali, quæ se permisit plures cognosci, & extra septa monasterii, cum rehabilitate ad dignitatem illius ordinis, etiam Abbatialem turon. 36. duc. 9. Absolutio ab adulterio pro laico in foro conscientie turon. 4. ab adulterio cum incestu, pro unâ personâ tantum turon. 6. pro adultero & adultera simul turon. 6. duc. 2. Vid. Hunnius T. I. opp. de Indulg. f. 437. Ex ungue leonem! Credo quod legentibus Pontificiis talia nauseam moveant.

XX. Errat. Moral. VIIImum est, *Permissa sine scitu superiorum ablatio honorum ad lucrandum jubileum.* Docent enim ac statuunt Navarra, Benzovius, Gratianus, Medina, Filiucius alique Doctores à Petro Prost laudati cap. 4. dub. 5. quod Uxor sine mariti, filius aut filia sine parentum, domestici sine Patris familias veniâ, aut iis insciis Romam petere, atque iidem, Monachi item & Moniales, si superiores monasterii elemosynam largiri nolint, sine scandalo sumere possint è bonis monasterii, & domesticis, ad lucrandum jubileum, si Romæ 15. diebus Ecclesias visitent, & de omnibus peccatis, præcipuè de tali inobedientiâ confiteantur. Sancti malus seu jubilei, seu indulgentiarum fructus hic est. Nam (1.) docentur, & suadentur mala, ut eveniant bona, directè contra Apostoli mandatum 1. m. III. 8. Quod axioma Pauli iisdem verbis & apud Aristotelem lib. 3. th. cap. 1. extat. Pontificiis autem meritò considerandum offertur, qui & in panaria tolerant, ut castitati virginum & matronarum honorum constetur. Benè Cajetanus ad cap. I. Rom. *Nullum peccatum, nec minimum quidem est eligibile medium, aut faciendum, ut peccata etiam gravissima vitentur.* Sed hinc (2.) mala fiunt, ut mala eveniant pejora ac majora. Ingens peccatum est inobedientiâ, quando liberi, uxores, domestici, & quicunque alii, sine veniâ & præscitu parentum, maritorum, Patrum familias & superiorum aliquid committunt, quia honor ac respectus ille, qui istis debetur, juxta mandatum quarti præcepti, non redditur. Non minus est peccatum furari & bona aliena furripere; nam & hoc severè Deus in septimo præcepto prohibuit. Majus autem peccatum est, approbare inobedientiam & furtum, ut Roma petatur, idololatria committatur, aliæque superstitiones exerceantur. Omnes enim ferè actus cele-

cele-



celebrationis jubilei sunt erronei, superstitiosi & cultus humani, quibus Deus læditur potius & commovetur ad iram, non ad gratiam, aut condonationem. Quam facile hæc omnia exaggerare possem & latius diducere; sed sapienti satis.

XXI. Errat. Moral. VIIIvum est: *Eleemosyna pro divitibus occasione jubilei collecta.* Notum & nimis manifestum est, indulgentias Papales, præcipuè jubileares propterea orbi universo à Pontifice offerri, ut magna pecuniæ vis hoc modo colligatur. Sed Curia Romana prætendit, illam pecuniam colligi pro pauperibus, ut maxima hominum pars misericordiâ moveatur, liberaliter eleemosynas faciendi, & pro Romanâ gratiâ suam gratitudinem declarandi. Quare Bellarminum male habet, quando ab aliis (nec immeritò) indulgentiæ vendi dicuntur, & Papæ thesaurum implere; scribit enim lib. 2. de Indulg. cap. 9. *nihil hic vendi, sed tantum eleemosynas à Pontifice Romano impositas solvi hac occasione, non ut ipse inde lucretur, sed ut pauperes juventur.* At pecunia pro indulgentiis jubilearibus erogata maximè differt ab eleemosynis: (a) *Objecto*, quia Papa omninò inde lucratur cum Archiepiscopis, Episcopis & Clericis, quæstoribus ac nundinatoribus, pecuniam illam colligentibus, qui nomine pauperum veniunt. Testantur id Historici supra allegati, & alii, qui jubileorum solennitates narrant, & occasiones simul atque causam referunt, cum effectu & fructu copiosissimo. Fatentur etiam scriptores ac juris Pontificii Doctores, nundinationum jubilearum Patroni ac defensores, *Theodoricus à Niem* lib. 1. cap. 68. *Boëthius Epo* in tract. de jure jubilæi & indulgentiarum, & plures alii. (b) *Formâ*, quia non sponte fit illa contributio aut gratis, sed propter accipiendas indulgentias, ut revera hic fit emtio & solutio: quemadmodum id constat, *partim* ex publicis instrumentis & bullis Paparum, in quibus nimis apparet illa nundinatio; *partim* ex taxâ poenitentiae Apostolicâ, quæ pretium peccatorum expressè denominat; *partim* ex querelis & gravaminibus tum Nationis Germanicæ totius in Comitibus Norimb. tum virorum cordatorum in papatu, *Cassandri* artic. 12. de indulgent. & aliorum, quos Bellarminus lib. 1. de Indulg. c. 12. pro nimis zelotis habet. Quamvis autem antea concesserimus, etiam ad alios fines ac usus indulgentias papales orbi universo offerri; tamen illæ plerumque sunt extraordinariæ, cum ordinariæ jubileæ Pontificis maximi thesauro inserviant. Vid. Gravamina Princip. Germ. in Comitibus Noribergæ 1522. proposita num. 3. & 4. Non igitur injuriam facit Curæ Rom.

Rom.

Rom. Daniel Chamierus in Panstrat. lib. XVI. c. 17. n. 10. scribens: *Quid est jubileus? Romæ quidem plena vindemia; deinceps verò per totam Europam racematio. De quâ, quia paulò liberius scripsit Polydorus Virgilius de inventor. rer. l. 8. c. 1. ideò Belgicus index Expurgatorius totum locum jubet deleri, & sequentia sic castigari, ut ne quisquam legat, Alexandrum VI. ubique jubileum promulgari curasse, tam sui, quam populi Christiani commodo; sed tantum Christiani populi commodo. Euge!* inquit, non potuit melius consuli sanctorum fame, Ecclesieque Romanæ sanctitati. Addit in sequentibus alias quoque pecuniarum exactiões, variis modis à Pontificibus institutas, & respondet argumentis, quibus eas nonnulli defendere non erubuerunt. Quantum autem hoc scandalum sit prudentioribus mysteria iniquitatis intelligentibus, datum à Vicario Christi benè ditato, ac minime paupere servo servorum, imò ditissimo ex fictâ donatione Constantini Magni, dici vix potest: ut mirum non sit, pio zelo piorum ac fidelium, sive sub papatu, sive in orthodoxo Christianismo, abominandam ac intolerabilem videri jubilearum indulgentiarum nundinationem.

XXII. Errat. Moral. IXnum est: *Sancta particularum porta collectio, conservatio, & in collis appensio & portatio.* De aurea portâ in Basilicâ Petri, quam Papa ipse in præsentia infinitæ turbæ aperit, ita Joh. Sleidanus lib. 21. commentar. de stat. relig. & reip. ad A. 1550. p. m. 358. scribit: *Malleolo Pontifex aureo portam ferit, sic enim habet ceremonia: quem deinde honoris causa largiri solet alicui. Sunt enim, qui se beatos hoc nomine putant. Dum Pontifex portam malleo percutit, opifices illam vectibus effringunt. Ibi populus, qui certatim irrumpit, ejus ruinæ calcem atque rudera studiosè colligit, & in rebus charissimis habet.* Duo hic benè notanda: (1.) quod per hanc portam apertam introeuntibus in sancta ad confitendum, plenissima peccatorum omnium remissio promittatur. Non parùm injuriosum hoc est in januam vitæ, Jesum Christum, per quem solum habemus perpetuum jubileum, quia solus est via, ostium & porta in cœlum (2.) quod populus ruinæ calcem ac rudera certatim colligat, eaque à collo suspendat, ac habeat inter pretiosissima & sanctissima. Sed peccatur in hoc maximè, cum nihil sanctitatis sit in hisce rudibus, & ejusdem generis ac naturæ cum aliis lapidibus, calce ac lignis reperiantur. Insanus autem populus, cui omnia sancta sunt & dicuntur, hæc rudera templi sancti etiam sanctè colit, iisque efficaciam tacitè tribuit,

tribuit,

tribuit, dum in collo appensa portat. Magna omnino superstitio, venerari ac sanctum habere, quod sanctum non est, & vitium religioni sanctæ contrarium. Et hujus superstitutionis apud Pontificios infinita ferè multitudo, quibus olim & nunc in pretiosis & sanctis habentur, cerei benedicti, agni cerei, sal benedictum, cineres, campanæ, flores & rami benedicti, aqua lustralis, particulae, reliquiae de Bethlehem, fasciis, præsepi, cunis, fœno, stramine, auro, myrrhâ, de monte, mannâ, coemeterio 30. arg emto, de lapide, qui sanguinem sudavit, quæ & alia innumera olim populo monstrata & inter sanctissima numerata fuerunt. Conf. Disputatio Jubilea *D. Wolfgang. Franzii*, quâ propositiones B. Lutheri A. 1517. habitas, & theses de indulgentiis Pontificiis exhibet, in primis ejusdem historica narratio de reliquiis in templo Witteb. & Hallensi German. edit. A. 1618.

XXIII. Errat. Moral. Xnum est *Exstirpatio hæreticorum intenta, per jubileum promovenda*. Collectio pecuniarum non semper est ultimus finis, sed illa pecuniæ vis ad alium interdum finem tendit, qui multiplex Pontificibus fuit, vel rebellium subactio, bellum navale contra Turcas, salus regni in afflictione positi, Ecclesiæ Romanæ incolumitas & felicitas, auspicia novi Pontificis, Principum pax & concordia, quibus & alii accedunt, & quidem memorata hæreticorum & schismaticorum exstirpatio, qualem jubilei finem habuit Urbanus VIII. Germanicæ nationi A. 1639. extraordinarium jubileum concedens ad exstirpationem hæreticorum, in quo jubilearis processio Coloniae d. 29. Jun. instituta est, cum circumgestatione omnium reliquiarum: cujus ordo & modus cum catalogo reliquiarum Germanicè ex officinâ Gisberti Clementis prodiit, latinè autem processionem cum omnibus sacris descripserant ante Ægidius Gelenius in lib. qui *Colonia supplex* inscribitur, & Mathenesius Parochus, Canonicus & Prof. Histor. in lib. cui titulus est, *Peripatus Christianus*. Verum bella illa, quæ Pontificii per jubilea hæreticis & infidelibus inferenda procurant, reapse adversus fideles & bonos Christianos sæpe suscipiuntur, qui immeritò & injuriosè nomine hæreticorum traducuntur. Sunt enim *partim* innocentes, qui Papæ Romano vel non per omnia gratificantur, vel jugum ejus detrectant, *partim* verè Orthodoxi & Catholici Christiani, qui veritatem cœlestem in verbo Dei fundatam recipiunt ac confitentur. Certè si hæretici verè tales, non seditiosi tantùm, blasphemi & turbatores, interficiendi & debellandi non sunt, sed alio modo coercendi, ut resipiscant: (nulum enim mandatum nec exemplum Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ extat,

tat, sed potius interdictum, Matth. XIII. 30. & praxis contraria, Tit. III. 10. 2. Joh. v. 10. Luc. IX 54.) multò minus orthodoxi & catholici bello impetendi & morte mulctandi sunt, id quod laxius nostrates in Systemat. Theolog. tuentur. Quare Protestantes, quibus bellum decretum erat, Ao. 1531. Fœdus Smalcaldiae inierunt, non offendendi quenquam, sed sui defendendi causâ, si fortè propter religionem à Pontificiis vis inferretur. Vid. Sleidanus de stat. relig. & Reip. lib. 7. fol. 115. b. & lib. 8. f. 119. Lutherus in art. Smalcald. art. 4. de papatu p. 315. *Hoc profectò nec Turca, nec Tartari faciunt, (quod Papa) quantumvis sint Christianorum atroces hostes, sed permittunt, ut credat in Christum, quicumque voluerit, & accipiant tributum, & obedientiam externam sive corporalem à Christianis. Papa verò prohibet hanc fidem, ajens, sibi obediendum esse, si quis salvari velit. Hoc autem facere nolumus, etiamsi nobis propterea moriendum sit in nomine Domini. Et id in universum inde oritur, quod Papa jure Divino voluit esse summum caput Christianae Ecclesiae. Vid. plura ibid. per tot. Artic. & quæ Carpzovius in Isagoge libb. Symbol. ac alii in hanc artic. commentati sunt.*

XXIV. Plura possem, tum fidei tum morum errata, in medium afferre; sed disputationis limites ea non admittunt, tam fœcunda & multiplicia. Hæc autem volui in gratiam Studiosorum Theologiæ, qui fidei nostræ concrediti sunt, breviter ostendere ac declarare, ut Jubilei Romani genuinam rationem, finem & effectum rectè cognoscant, & errores fidei doctrinæ, & peccata, quæ contra legem Moralem committuntur, edocti judicent, refutent, detestentur. Odium errorum & peccatorum Auditoribus ingeneramus, non hominum, quorum agnitionem & poenitentiam, quia Christiani sunt, animitus optamus, ac pro viribus nostris, officii lege adducti, etiam promovere studemus. Sed & dolemus intimè, tyrannidi ac persecutioni Romanæ curiæ omnes Christianos subjici, qui (ut Lutherus loquitur in art. Smalc. pag. 315.) *abominationes illas Papæ super omnia predicare & honorare nolunt, damnat, trucidat, excruciat. Mentiri enim & occidere (ait pag. 314.) animas & corpora in aeternum prodere, Pontificii regni proprium est.* Gratias autem agimus Deo O. M. pro luce Evangelii nobis hæcenus servatâ, cujus beneficio certò scimus ac intelligimus, Pontificem Romanum traditionibus, superstitionibus & constitutionibus suis gloriam Dei lædere, justitiam fidei abnegare, præferre leges suas mandatis Dei, miserè potestatem gladii ac spiritus, ac

NOVOS

novos cultus Dei verbo incognitos atque contrarios, instituere & urgere, tanquam ad salutem necessarios. Credimus autem magnâ *αληθεσφεια*, in solo Christo ejusque merito sufficientissimo salutem nostram æternam esse positam, & fide solùm apprehendi, per gratiam Dei, sine omnibus nostris meritis atque operibus, ut soli Deo ejusque misericordiæ laus & gloria remaneat. Oramus denique, ut Deus elementissimus nobis verbum suum gratiosè servet, nec propter multorum contemtum & ingrati- tudinem obscurari ac corrumpi sinat, vel prorsus auferat sive extinguat, sed ut nobis ac posteris nostris, ad finem mundi usque luceat, tanquam lux splendidissima & purissima, ad Ecclesiæ Christianæ amplificationem, fidei salvificæ in cordibus hominum operationem, vitæ & morum sancti- ficationem, in cruce & afflictionibus constantiam, in fide & patientiâ perseverantiam, salutis spem certam, ac lætissimam futuræ vitæ ac gloriæ fruitionem. Γένοιτο! Γένοιτο.

## COROLLARIORUM Loco

Subjungitur Chronologia Jubileorum I. Ordinariorum.

Celebratum autem est, Anno.

1300. *Primum* Romæ jubileum à Bonifacio VIII. ab eodem anno 1295. institutum, & in universâ Ecclesiâ promulgatum.
1350. *Secundum* à Clemente VI. A. 1348. ad Annum 50mum reductum: in quo tanta hominum turba Romæ fuit, ut multi in ponte oppressi in aqua suffocati sint.
1388. *Tertium* Urbanus VI. ex quinquagesimo ad an. 33. (Onuphr. 36.) redu- xit, & hoc anno celebrari jussit, quod tamen ab aliis Gregorio XI. tri- buitur, sed nunquam fuit usu receptum. Bonifacius IX. Successor celebravit; sed Antoninus tit. 22. c. 2. §. 14. scribit: *Indulgentia illa, qua in Jubilao ab Urbano mutato hominibus promittebatur, non ha- bita fuit in devotione fidelium, sicut illa de centenario & de quinquagenario. Unde & modicus in eo concursus fuit ad urbem propter talem indulgentiam.*
1400. *Quartum*, post jubileum ad an. 33. reductum, Romæ celebravit Bo- nifacius IX. adeoque bis, decem annis post primum Urbani, quod nulli Pontificum contigit.
1425. *Quintum* Martinus III, Papa celebravit, teste Onuphrio ad A. 1423.

1450. *Sextum* sub Nicolao V. habitum, contra decretum Concilii Bafileensis.
1475. *Septimum* à Paulo II. & Sixto IV. ad an. 25mum reductum primò celebratum esse plerique volunt.
1500. *Octavum* ab Alexandro VI. A. 1499. indictum est, ad quod ingens multitudo hominum venit.
1525. *Nonum* Clemens VII. celebravit Romæ.
1550. *Decimum* Julius III. egit, quod Paulus III. desideraverat, d. 10. Novembr. mortuus.
1575. *Undecimum* à Gregorio XIII. celebratum est.
1600. *Duodecimum* Clemens VIII. ubique terrarum promulgavit.
1625. *Decimum Tertium* Urbanus VIII.
1650. *Decimum Quartum* sub Innocentio X. celebratum est.
1675. *Decimum Quintum* Clemens X. instituit.
1700. *Decimum Sextum* à Papa Innocentio XII. indictum est.

II. *Extraordinariorum.*

- A. 1545. Paulus III. d. 13. Decembr. ob habendum Concilium Trident. instituit.
- A. 1555. Paulus IV. d. 24. Dec. ob Angliæ regnum ad obedientiam sedis Romanæ reductum.
1572. Gregorius XIII. ob Ianienam Parisiensem. Thuan. lib. 53. histor. Idem grassante peste jubileum concessisse dicitur à Cicarella in ejus vitâ.
1597. Clemens VIII. pro incol. Ecclesiæ Romanæ.
1608. Paulus IV. pro extirpatione hæresium.
1615. Leo X. per Galliam, Germaniam & alia regna jubileum promulgavit.
1617. Paulus V. Anti-jubileum occasione jubilei Lutherani publicavit. V. Gramondus p. 175.
1620. Gregorius XV. pro felicibus novi Pontificis auspiciis.
1622. Idem pro salute Belgii.
1639. Urbanus VIII. extraordinarium jubileum Germanicæ nationi concessit ad extirpationem hæreticorum.
1640. Jubileum Jesuitarum: vid. imago primi seculi societatis Jesu.
1641. Urbani VIII. cujus meminerunt Boëtius Epo & Proft.
1655. Alexander VII. ad extirpationem Protestantium pro Ecclesiæ Catholicæ regimine.
- Conf. B. D. Affelmann P. II. Syntag. in Programm. 1617. p. 3. ad 9.

06 (0) 99

Theol. ev. polem. 242, 54 m